VINDICIÆ DOCTRINÆ SOCIET: IESV

A CALVMNIIS

PATRONI TORVNENSIVM Anonymi.

Authore GEORGIO TISZKIEWIC, *ex eadem Societate Sacræ Theologiæ Doctore.*

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij S. R. M. Typographi, Anno Domini, M. DC. XVI.

Illuſtri & Magnifico Domino,

D. DACBOGIO

à Karnkow

KARNKOWSKI, PA-
latino Derpatenſi, Odalanouienſi &c.
CAPITANEO

Author à DEO gratiam & felicitatem.

VIndicias doctrinæ Societatis noſtræ à calumniis Patroni Torunenſium meditanti ſubinde venit in mentem quærere, ſub cuius auſpiciis ederentur. Verùm ſcribenti in Collegio Karncouiano non difficile fuit inuenire: ſtatim enim Illuſtriſsimæ D. T. occurrit imago: eius videlicet, qui clariſsimi nominis huius præcipuum decus hodie ſuſtineat. Et cùm opuſculo eiuſmodi patrono opus eſſe intelligerem, à quo & benignè ſuſcipiatur, & nonnihil ſplendoris mutuetur; certum habui, & te propter propenſam in vniuerſum noſtrum Ordinem voluntatem, noſtra quoque munera placida hilariq; fronte acceptu-rum: & Vindicias propter tuam ſummam virtutis, atque honoris dignitatem, Lectori fore commendatiores. Iam verò ſingularis tuus in me amor, & beneuolentia tot indiciis declarata, exigere vrgereq; videbantur; vt ego meæ viciſsim erga te gratitudinis, & obſeruantiæ, darem aliquem obſidem, atque teſtem. Atq; hanc potiſsimum ob cauſam, iſtud quidquid eſt libelli, Illuſtriſſ: T. M. do, dico, conſecroq;: vt ex hoc quiuis intelligat, me erga optimè meritum grato animo eſſe velle, & in tua autoritate conquieſcere; à cuius Illuſtriſsimo nomine meæ huic lucubrationi plurimùm lucis & gratiæ acceſſurum exiſtimo. Caliſsij, ex Collegio Karncouiano Soc: Ieſu. 1615. xx. Decembr.

AD LECTOREM.

ANte annum, Lector beneuole, iis, quæ Patronus Torunensis Societati nostræ in Polonia obiecit, respondi sufficienter, vt & ego opinor, & aduersarij non diffitentur, qui nihil adhuc opposuerunt. Reliquias verò calumniarum, quibus doctrinam Ordinis vniuersi adducere in inuidiam volebat, dissipandi omnem prorsus deposueram cogitationem. Primùm enim ad causam nil facere videbatur, sperauique facilè Lectoris prudentiam iudicaturam, qua fide Anonymus egerit in narrationibus rerum foris gestarum, qui domesticis in clarissima luce positis tenebras offundere conaretur. Deinde cramben recoxit Patronus: nihil attulit, quod doctissimorum virorum stylo confixum non sit. Verùm aliter nonnullis amicorum visum est; qui me hortati sunt, vt animum resumerem, calamum arriperem, & quamprimũ criminationibus, contra doctrinam nostram responderem. Aiebant enim in Polonia nullas, aut vix vllas pro doctrina Societatis Apologias extare: licet autem inueniatur nemo, qui nos Regum, atque Principum, nostris tentamentis obnitentium cædem permittere; artem æquiuocè mentiendi docere; Romano Pontifici, inauditam SS. Patribus, & cæteris Doctoribus, potestatem tribuere (hæc enim nobis bonus ille vir affingit) credat, vt pote euidenter falsa: timendum tamen esse; ne, nisi coërceretur, audacior ac insolentior fieret. Quare prudenter, & amicè monentium consiliis obsequor: Vindicias istas in lucem emitto; quarum si iudex æquus fueris, beneuole Lector, non dubito te Societatis doctrinæ, innocentiæque fore patronum, ac vindicem.

VINDI-

VINDICIARVM DOCTRINÆ SOCIETATIS IESV

CAPVT PRIMVM.

Ignorantia, & malitia Patroni Torunensium circa æquiuocationes. quas quia non intelligit, docetur: quia verò malitiosè earum nomine Societatem nostram insimulat, arguitur.

QVID priùs hîc, vel magis mirer, & accusem; inscitiamné, an malitiam Patroni Torunensium; non facilè constituere possum. Ita enim de Amphibologia disputat, vt nec vim naturamque illius, aut vocis, satis perspectam habere videatur; ita argumentatur, vt quæuis ex quibusuis, non quæ sequi debeant, sed quæ in nos Catholicos, Sacerdotes, & Religiosos Societatis, ab homine Hæretico, & Caluinista nobis infensissimo, cogitari dicique possint, colligat, & deducat. Sed quare, aut quomodo, disputationem adeò à suo proposito alienam, ingressus est? Certè in illa Oratione quam refutandam susceperat, nulla vel minima æquiuocationis commemorandæ occasio data fuit. I.

Dixerat Orator noster, Torunenses more suo affirmare, templa, & scholas iurisdictioni suæ subiectas, vi, & malis artibus à nobis ereptas esse; quæ tamen illa sint II.

 templa,

templa, & quæ scholæ, respondere non posse: tum sic conuerso ad eos sermone concludebat. Non potestis igitur ostendere, viri boni, aliquid in hoc genere à Iesuitis peccatum esse. Quid ad hæc dicit Patronus Torunensium? Oratoris petitionem eludendo, in hunc communem locum de æquiuocationibus (quàm apposite, & ad rem) excurrit, atque hoc modo Oratori respondet: *Scilicet* inquit, *non possunt Torunenses templa, & scholas sibi à vobis ereptas ostendere, si vestris æquiuocationibus fides haberetur.* Planè scilicet: quæ enim æquiuocatio est, vel rogare vt Torunenses ostendant, quænam templa, quasnam scholas illis Iesuitæ ademerint; vel inferre quod non possint ostendere? Non ista intelligis? & tamen ego te & Hieroclastam nuper, & scholarcham Torunensium fuisse puto. Responde ad rem, responde ad ea quæ perspicuis & simplicibus verbis continentur; quid dissimulas? Torunensium causam agere tibi sumpsisti: cur itaque illis obiecta non diluis? cur æquiuocationes obtrudis, quæ ad Torunensium defensionem nihil faciunt? Quid enim tam non æquiuocum, quàm templum, & schola, in hac præsertim petitione? aut si tibi æquiuoca videbantur, cur illis, si Dialectices rudimenta vel extremis labris degustasti, explanationem non adhibuisti? quàm igitur apposite hanc occasionem de æquiuocationibus agendi arripueris, ipse vltro, nisi palinodiam canere puderet, faterere: quanquam etiam non confitenti apud me parata est venia, excuso hominis importuni garrulitatem.

Est etenim, est ratio, lector, quæ mouerit illum:
Erroremq́; suum quo tueatur habet.

Primùm enim hæc eum plusculum ebrium, nec matutinis horis, sed vespertinis commentatum fuisse arbitror; postquam

Accessit feruor capiti, numerusq́; lucernis.

eo nimirum tempore, quo plurima de Deo, & religione; de

ne; de vita, & moribus Catholicorum; de Papa, & Religiosis ordinibus, falsò. & impudenter disputare; de fama, & gloria bonorum omnium cuiusque status, & conditionis, nullo discrimine detrahere, & quæ in buccam venerint, nullo delectu, & iudicio, effutire solent Ministri Caluinistarũ. Deinde dandum est aliquid ignorantiæ, dandum inopiæ. Nam neque pro Torunensibus bene & eleganter dicere, neque nos copiosè, sufficienterque traduci à se posse putabat, nisi materias quantum libet impertinentes, & mendacia vndique corrasa, in orationem obtorto, quod aiunt, collo compingeret. Ad extremum doctus, & Theologus apud suos videri, & haberi voluit: apud suos, inquam. nam apud viros Theologicis disciplinis excultos, non Theologi, sed hominis ignari potiùs, nomen inuenit; cuique totum artis Horatianæ prooemium, ad versum quartum supra vigesimum, mirum quantum conueniat.

Quid ergo de his æquiuocationibus nouus hic Theologus disserit? æquiuocis nos vti sermonibus contendit, atque ambiguitate verborum malitiam nostram palliare. Anicularum de triuio conuitia ista sunt, non pronunciata Theologi. Sed hæc est Caluinianæ Theologiæ consuetudo, & subtilitas. Malitiam nostram palliamus? at tu certè tuam non palliasti, sed eam tam clarè in oculis omnium posuisti; vt fenestra ad cor tuum perspiciendum (quod ad hominis constructionem Momus desiderabat) non egeamus. hanc verò tam insignẽ calumniam, nonnisi ab animo peruerso confictam, & ore procaci prolatam esse, necesse est. Iniuriam facere videor homini cultori veritatis: verè enim se locutum esse ratione conatur euincere: verùm solenne suum tenet, nec vnquam est sui dissimilis: calumniam calumnia fulcit: maledictum maledicto accumulat: rem falsam alia magis falsa confirmat; neque enim tam indu- III.

ſtrius, & ingenioſus eſt; vt, quod nemo vnquam potuit, falſitatem veritate ſtabiliat.

IV. *Æquiuocationibus*, inquit, *vtimini*; quî id noſti? aut quibus argumentis adduceris, vt hæc de nobis credas, & aſſeras? *Quia docetis*, reſpondet, *artem æquiuocè mentiendi.* Deum bonum quid hoc? Ieſuitæ veritatis propugnatores, mendaciorum euerſores, mentiri docent! Ieſuitæ ad hoc à Deo excitati, & vocati, à ſede Apoſtolica confirmati, à Regibus, Imperatoribus, Ducibus, Epiſcopis, Prælatis, à Nobilitate, & populo, à Regnis & Ciuitatibus, ab omnibus omnium ordinum hominibus expetiti, ſuſcepti, dotati, vt veritatem in templis, & ſcholis, domi, foriſque tuerentur, & prædicarent; contra omnem errorem, & mendacia, ſumma cõtentione pugnarent; obliti vocationis ſuæ tam ſublimis, ſpei, & expectationis, de ſe conceptæ, mentiri docent? Fugite, Catholici: veſtros liberos ingenuos è Ieſuitarum auferte ſcholis. Ieſuitæ mentiri docent? Cur, obſecro, ſiquidem nihil verè dicere poteras, ſaltem commodius aliquid non finxiſti, quod probabilitate, & veriſimilitudine, lectori tenebras offunderet? iſtud enim, quod attuliſti, nimis apertè falſum eſt; atque tot teſtibus refellitur, quotquot ſe vnquam in noſtram diſciplinam tradiderunt. Profectò eris mihi magnus Apollo, ſi contrarium probaueris. Quid dicis? quid affers? *vt patet,* inquit, *in veſtro Toleto, Valentia, & Campiano.* O caput Anticyris tribus inſanabile! audeſné tu huic Cardinali Illuſtriſſimo, & viris clariſſimis, ac doctiſſimis, quorum doctrinæ omnes, nonniſi poſt diligentem trutinam, & cenſuram doctiſſimorum Theologorum, lucem aſpexêre; tu inquam, homo leuiſſimus, & imperitiſſimus, audes mendacium affingere? Quando tandem finem impones calumniis? Sed quamuis iſti Doctores hanc doctrinam tradidiſſent, vt iſte Pſeudotheologus aſſerit, quàm rectè

tamen

tamen nos vti æquiuocationibus ex hoc principio deducat, videamus. *Docetis*, inquit, *artem æquiuocè mentiendi: Ergo ipsi æquiuocationibus vtimini, & per consequens mentimini.* O argutum Dialecticum! ergo ne, qui docet aliquid, ipse idem facit? An non Scribæ illi, & Pharisæi, qui super cathedram Moysis sederunt, rectam viuendi rationem tradiderunt, quam tamen ipsi testeipsa Veritate minimè tenuerunt? *Dicunt enim*, inquit veritas de illis, *& non faciunt.* An non & vestri item suis cohortationibus ad sobrietatis, temperantiæ, cæterarumq; virtutum studium, concionem impellunt; & tamen eorum permulti ventri seruiunt, ac multorum vitiorum sorde fœdati ætatem exigunt? An non & nos, & alij ante nostram memoriam sanctissimi viri, multa licere docuerunt, vt criminales causas iudicare, reos capitis pœna, fortunarum, exilii, infamiæ plectere; dignitates sæculares acceptare, rem familiarem administrare, mercari, emere, vendere, vxores ducere; quæ tamen neque facimus nos, neque illi fecerunt vnquam? Videsné quàm acutè fueris argumentatus? vides quàm tu homo sis literatus?

Matth: 23.

V.

Nunciam paulisper considera, quàm iniquè nobis, & tribus illis Doctoribus, artem mentiendi affinxeris. Vestra hæc est, vestra, & vestrorum Ministrorum disciplina, vester est præclarus ille versiculus;

Iura, periura, secretum prodere noli.

Vos cum cæteris omnibus Hæreticis, non tantùm mentiendi, sed etiam peierandi, amplissimam facitis potestatem, vt videre est apud SS. Doctores, cùm agunt de mendacio, & æquiuocationibus; & apud Hieronymum Bolsecum in vita Caluini. At verò omnium Catholicorum vnanimis consensus mendacia persequitur. Nōné & illi Doctores, quos adduxisti, apertè in suis voluminibus docent; mentiri, vel mendacium proferre qualecunq;

Tolet: in Instructione Sacerdotū lib: 7 tract: 2. c. 54. Valentia in 2. 2. D. Thomæ tomo 3. disp: 3. q. 4. puncto 3.

cunq;

cunq; , leue, vel iocoſum, quamuis officij humanitatiſq; pleniſſimum, nunquam omnino licere.

VI. Iſtud autem eſt, quod ijdem ex ſententia SS. Patrũ, ac omnium Theologorum dixerunt, licere nimirum aliquando reſpondenti tale quid dicere, quod non ſit ad mentem interrogantis, & quod ab eo ex vi verborum, & in contrariam partem ab ea, quam inquirit, accipi poſſit. quod tunc fieri poterit, cùm quis interrogatur contra æquitatem, & iuſtitiam; aut ab eo, à quo non debet; nec eum ſcire ea, quæ interrogat, expedit, decet, aut licet; & vnde damnum magnum animi, vel corporis, fortunarum, vel capitis in reſpondentem, vel familiam aliquam, aut etiam in totum regnum, ſeu etiam priuatam aliquam perſonam, emergere poſſet.

VII. Abundè hoc meo breui reſponſo ad hanc calumniam Anonymi prudenti, & vtrumq; integro animi oculo inſpicienti, ſatisfactum eſſet, ita vt plura non requireret; ſed quia non omnes eiuſmodi ſunt; & vt etiam huius Hæretici malitia, & inſcitia ſimul, magis appareat: qui tantos viros, noſq; omnes mendacij arguere, & doctrinam ipſorum ſub ſuam vocare cenſuram auſus ſit: pauca de hoc argumento ex SS. Patribus, ac Theologis, ipſaq; Sacra ſcriptura (miſſis ijs, quæ fuſè de hac ipſa materia ſcripſit doctiſſimus vir Pater Andreas Cydonius
Cap: 2. homo Societatis contra Edouardum Coquum in Apologia pro P. Henrico Garnetto) prælibabo.

VIII. Ac inprimis, à nullo ex Doctoribus Catholicis per integros mille & quingentos annos, imò ad noſtra hæc vſq; tempora, inuenio negatam hanc aſſertionẽ, quam ſuprà poſui, aut impugnatam. Quod enim dicit
Num: 6. hîc Hæreticus, D. Auguſtinum æquiuocationes huiuſmodi mendacij titulo excepiſſe, & ornaſſe; longè à vero diſtat, cùm de hac re ne ſomniarit quidem hic Sanctus; licet, vt infrà oſtendam, ipſe huiuſmodi æquiuoca-

tiones admittat. Petri verò negationem, qua ſe Chriſtũ non noſſe dicebat, mendacium fuiſſe exterius affirmauit. *Petrus* inquiens, *intus veritatem tenebat*, (quia ſcilicet illam non negabat corde, ſed ore tantùm) *ſed foris mendacium proferebat.* Vbi hîc æquiuocatio apud ſanctum Auguſtinum? imò maxima apud patronum Torunenſium, quam ille non ſine arte æquiuocè mentiendi commiſit. An non diſertis verbis hic S. illud Petri reſponſum negationem, & mendacium appellauit? Nunquid iſta idem apud te ſunt, negatio, mendacium, & æquiuocatio? nunquid & eaſdem requirunt conditiones, & circumſtantias? quàm ſæpè Philoſophi, ac Theologi, tam in ſuis ſcholis inter diſputandum, quàm in libris editis, multas propoſitiones negant, in multis æquiuocant, nec tamen mentiuntur! ſolus enim ille, qui contra ſuam mẽtem reſpondet, non æquiuocare, ſed omnino mentiri, & veritatem negare, dicendus eſt. Alias enim conditiones mendacium, & negatio, alias æquiuocatio requirit; quod nemo, licet vel rudiſſimus ſit, non videt. Imò hic ipſe Anonymus, contra quem agimus, id non ignorat. Ideo enim, vt illam negationem S. Petri contra doctiſſimorum omnium, ac Sanctiſſimorum virorum ſententiam, æquiuocationem fuiſſe oſtenderet, finxit egregius commentator (ita his Hæreticis omnia licent, etiam in Sacra ſcriptura fingere) D. Petrum dum negaret Chriſtum, habuiſſe hunc in ſe tacitum (interiùs ſcilicet) intellectum, ſeu formatum conceptum, quòd Chriſtum noſſet, ſed non ea intentione, vt hoc ipſum Caiphæ miniſtris, & ancillæ reuelaret, ac proinde æquiuocaſſe. Mea ſic fert ſententia, non album, ſed atrum monitorem, Patrono huic aſtitiſſe, à quo factum D. Petri ad hunc modum interpretari edoctus ſit. Nam vnde hoc ſciret? ſcriptura certè negaſſe tantùm eum, non autem æquiuocaſſe affirmat. Quid ergo mirum, ſi de nobis tan-

Cap: 6. ad Creſcen.

ta, ac tam mirabilia fingat, qui etiam nulla nixus authoritate scripturæ, hoc & hoc S. Petrum in sua negatione cogitasse, comminiscitur? Sed & quamuis illa æquiuocatio fuisset, quod hactenus nemo dixit, nihil tamen adhuc faceret calumniator noster. Solùm enim esset verum, ex sententia S. Augustini æquiuocationem contra fidem esse mendacium. quod & verissimum est. Nam res fidei reuelatas à Deo, directè, vel indirectè, nullo modo, ne æquiuocè quidem, negare vnquam licet, cùm hoc sit contra præceptum Diuinum prohibens seu negatiuum, quod obligat semper, vbiq;, & in omni causa, etiam capitis, vt habetur ex S. scriptura. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* & ; *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc & Filius hominis erubescet.* & ; *Si negauerimus, & ipse negabit nos:* vbi D. Ambrosius, Theodoretus, & Primasius, id quod dixi, notant. & eodem modo D. Chrysost: interpretatur illa verba Christi apud eundem S. Matth: eod: cap: *Estote prudentes, sicut serpentes, quæ corpus,* inquit ille, *exponunt cuique vulneri, vt caput seruent; ita etiam fideles debent potiùs corpus prodere, quàm fidem (quæ caput est & initium bonorum omnium) quocunque modo negare.* Quod idem habent etiam ibi, D. Hieronym: & D. Hilarius, & D. August: Negare enim tantùm ore, etiam æquiuocè, res reuelatas à Deo, directè, vel indirectè (quod addo, vt negatio S. Petri includatur) est mendacium perniciosum, & honori Dei contrarium; quia negando sic fidem Deo tribuit mendacium, dicens directè vel indirectè falsum esse quòd Deus Dixit. Ergo mendacium illud prohibitũ est, non tantùm generali præcepto non mentiendi, sed etiam speciali præcepto fidei, vt affirmat S. August: & propterea appellat S. Petri negationem, mendacium.

Matth: 10. *Luc: 9.* *2. Tim: 2.* *Hom: 35. in Matth.* *Hil: Can: 10 in Matth.* *Aug: 2. doctri: Christi Cap: 16.* *Cap: 6. de mendacio.*

IX. Secundò, eandem propositionem reperio à plurimis sapientissimis æquè, ac sanctissimis viris, non nostri or-

ſtri ordinis, nec huius ſæculi, ſed alterius etiam, & alterius, expreſſè, & clarè admiſſam, & aſſertam, vt à D. Thom: *3. parte, q. 10. a. 2. & 2. 2. q. 69.* Caietano & Aragonio, *ibid. & ſuprà q. 84.* Couarruuia *in Cap. Quamuis pactum.* Soto *lib: 8. q. 1. a. 7. & lib: de ratione tegendi ſecreti:* Syluestro *verbo iuramentum 3. q. 2. & verbo Reſtitutio 3. q. 3.* Ang. *ver. Iuramentum 5. n. 9.* Bagnez *2. 2. q. 69.* Salon *ibidem, controuerſ. 11. & 15.* qui etiam citat Canum & Mantium; Sayro *in claui Regia lib: 12. c. 17. n. 26.* D. Anton: *2. p. ſum: Theol: tit: 1. c. 1.* & ab aliis permultis Thomiſtis. Adriano *in 4. q. de ſigillo Confeſſionis,* Maiore *in 4. d. 15. q. 18.* Petro Nauar: *lib: 2. c. 4. n. 348.* Martino Nauar: *c. 18. n. 49.* Henrico *Quodlib. 1. q. 34.* Cordubenſe *in Annotationib. ſupra Sotum,* qui etiam ait, communem eſſe hanc ſententiam Doctorum. Philiarco *de offic: Sacerdotis, tom: 1. p. 2. lib: 3.* Manuele, *de Ord: Iudiciario c. 10.* Huc accedunt multi ex SS. Patrib. D. Gregor. *lib: 6. in 1. Reg: cap: 3.* D. Chryſoſt: *hom: 14. in Marc.* Beda, Leontius, Rupertus, & Andreas Cretenſis Archiep: Hieroſol: *in cap: 11. Ioan:* vt infrà: D. Cyrillus, Euthymius & Theophylact: de quibus infrà. Item D. Hilar: *canone 26. in Matth: & lib: 9. de Trinit.* D. Hieronymus & Theodoret: *in cap: 2. ad Gal.* qui duo poſtremi, non mendacium formaliter, ſed orationem ambiguam, alio ſcilicet ſenſu dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem, ita vt aliter eam alius accipiat, & decipiatur, aſſerunt licere. vt expreſſè patet ex illorum exemplis. & quia D. Hieronym: apertè arguit Origeniſtas, qui dicebant licitum eſſe aliquando mendacium, falſam oſtendendo hanc ſententiam, & contrariam ſacris literis. Idem colligitur ex Venerabili Beda, & S. Paulino, qui laudant factum illud S. Felicis, cùm æquiuocatione vſus fuit, interrogatus à perſecutoribus, vbinam Felix eſſet. Alij etiam laudant æquiuocationem S. Athanaſii, qua mortem in mari à perſecutoribus euaſit; de qua re So-

Soz: lib: 3. cap: 8. zomen: Surius, & Baronius ex eodem. Deniq; idem indicat & S. August: cùm facit differentiam, inter mentiri, & verum occultare. Tom: 8. in Psal: 4. Siquidem *aliud est*, inquit, *falsum dicere, aliud verum tacere: vt si quis non velit hominem ad mortem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur.* intelligit autem etiam tunc, quando quis tacet verum, loquendo. & supra Epistol: ad Galat: *quicquid figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium.* De verbis etiam Apostoli: *Interest quomodo procedit verbum ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens.* & Cap: 10. lib: contra mendacium. *Vera*, inquit, *non falsa dicuntur, quia vera, non falsa significantur; seu verbo, seu facto: quæ significantur enim, vtique ipsa dicuntur; putantur autem mendacia, quoniam non ea, quæ vera significantur, dicta intelliguntur; sed ea, quæ facta sunt, dicta esse creduntur.* Aliâs omnes parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcunque rerum, quæ non ad proprium sensum accipiendæ sunt; sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur esse mendacia. Clarius verò tr. 49. in cap: 11 Ioan: vbi affirmat, Christum ambiguè illis verbis: *Resurget frater tuus.* respondisse Marthæ tacitè petenti ab eo, vt fratrem mortuum, imò & fætentem iam, precibus suis apud Deum ad vitam reuocaret. *Ambiguum*, inquit ille (nota Patrone) *fuit hoc; Resurget frater tuus. Non enim ait; Modò resuscito fratrem tuum; sed; Resurget frater tuus.* Idem docent, Beda, Leontius, Rupertus, & Andreas Creteñ. suprà citati. Ambiguè Christus respondet, inquiunt illi; nam neq; dicit, quando Lazarus resurrecturus esset, modoné (quod tamen & ipse Christus tacita mentis limitatione designabat: & Martha ab eo postulabat, vt indicant illa verba eiusdem; *Sed & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*) an verò vsque in extremo mundi tempore; sed tantùm esse resurrecturum, neque se eum suscitaturum esse pronunciat. Modestiæ autem causa sic cum ambiguè locutum fu-

tum fuisse scribunt: hancque Christi consuetudinem fuisse, sua sensim, & modestè miracula insinuare, non expressis & inflatis verbis indicare. Tandem idem Augustinus *lib: 1. in Genes: c. 25.* pro exemplo legitimæ æquiuocationis exemplum affert Abrahami, qui Saram sororem appellabat, etsi reuera coniunx esset: quod, vt Ægyptii ne agnoscerent, studiosè cauebat. Te miror, Anonyme, qui D. Augustini monimenta euoluas, vt præ te fers, tam luculenta testimonia pro nostra sententia non vidisse. Aliis certè hæreticis, vt opinor, patuerunt; qui etiam in ipsius Augustini apertis, & disertis verbis, ne eum contra se stare fateri cogantur, æquiuocationes mendacii puras inueniunt. Nam Hunnius Prædicans Luteranus ægreferens Kemnitium suum accusari à Bellarmino, quòd S. Augustini testimonium malignè citando detruncâsset, in quo Sanctus librum Sapientiæ vocat Diuinæ auctoritatis, & Diuinum testimonium, respondet, vocare Diuinum, sed æquiuocè, non propriè. Ita iste hæreticus, D. Augustinum propriè loquentem (vt clarè ostendit Gretserus noster) nihilominus æquiuocare docet, dummodo tanti Patris testimonium eludat, & libro Sapientiæ auctoritatem adimat. Atq; ex his, quæ hactenus ex S. Augustino, & aliis dicta sunt, prudens lector iudicare potest primùm, quàm sit insignis imperitia Patroni Torunensium, qui de D. Augustino affirmauit, quasi huiusmodi, de quibus nunc agimus, æquiuocationes mendacii nomine appellârit; cùm longè aliud disertissimis verbis docuerit, quæ vel ignarissimus quisque per se facilè intelligere posset, vt proximè vidimus. Secundum potest etiam prudens lector videre, quanta sit malitia eiusdem Patroni; qui, quamuis vidisset à nostro P. Valentia citari pro ea, de qua disputamus, sententia multos authores Catholicos, & antiquos, non ex nostra tantùm societate, & asseri hanc esse communem om-

Lib: 1. de Verbo Dei, c. 13.

Tomo 1. Defensionis Controuersiarum Bellarmini de verbo Dei, capit: 13.

nem om-

nem omnium ſententiam & doctrinam; nihilominus tamen, ac ſi noſtrorum tantùm illa eſſet, & à nobis ſolis adinuenta, vnà cum Nauarro in nos ſolos inuehitur, & noſtram tantùm Societatem omiſſis omnibus aliis, qui idem longè expreſſiùs quàm noſtri docent; noſtram, inquam, ſolam Societatem, quæ eius in nos maleuolentia, & odium eſt, taxare, & calumniari voluit: cùm reuera tam ſanctorum Patrum, quàm omnium ſapientum in hoc genere doctrinam ſit calumniatus.

X. Tertiò, licere æquiuocare non obſcurè indicat Sacra ſcriptura. Chriſtus enim Dominus non raro æquiuocè locutus eſt, ſiue æquiuocatione, & figurato, ac non proprio vſus eſt loquendi modo. Nam Iudæis ſignum petentibus reſpondit: *Soluite templum hoc, & in triduo*
Ioan: 2. *reſuſcitabo illud.* quid hoc reſponſo magis ambiguum? Chriſtus de templo corporis ſui loquitur, Iudæi de Hieroſolymitano accipiunt. Atq; hoc omnes SS. Patres docent; amphibologiam ſcilicet, ſeu orationem æquiuocam, contineri in illis verbis. quod ipſum etiã Euangeliſta apertè indicauit, ita vt diximus, mentem Chriſti Domini interpretans. & patet aliter Iudæos quàm Chriſtum illud reſponſum accepiſſe. Nam in iudicio apud Caipham hoc Chriſto obiecerunt, quòd templum Hieroſolymitanum ſe poſſe demoliri, & illud poſtea intra
C. 26. triduum excitare, iactaret. *Venerunt*, inquit S. Matth: *duo falſi teſtes, & dixerunt; Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* quæ tamen verba non erant dicta à Chriſto; aut ſi dicta, certè non eo ſenſu, quo ipſi affirmabant. Quid ergo? Chriſtumné, in tam grauem, & eius maieſtate ac diuinitate omnino indignum errorem mendacij, impegiſſe dicemus, cùm hæc dixit? Patronus ſanè omnem ambiguum & amphibologicum ſermonem inter mendacia connumerat. quid ergo ſupereſt, quàm vt & ipſum Chriſtum inter (effari tantam

non poſ-

non possum blasphemiam, sed non mea, huius blasphemi hominis verba sunt) inter, inquam, mendaces ponat? O scelus! o blasphemiam! Sed vt magis hominis fraudulenti ignorantia & malitia confundatur, proferamus & alia Seruatoris nostri verba, in quibus oratio ambigua, seu tacitam mentis limitationem habens, continetur. Suadebant aliquando, vt est apud Euangelistam Ioannem fratres Christo Domino, vt ad proximum festum Tabernaculorum, ad quod omnes Iudæi certatim vndequaque pro recepta suæ gentis consuetudine confluebant, Hierosolymam ascenderet: vt in tanta illa frequentia populi se per sua miracula omnibus notum, manifestumque faceret, sicut in Galilæa fecerat. Quibus ille respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum.* Affirmauit hîc Christus se ad diem festum non ascensurum, cùm tamen postea, vbi fratres eius ascenderunt, ascenderit & ipse. Oratio hæc Christi habuit tacitam mentis restrictionem, vt communiter omnes Sancti Patres, licet varij variè, bene tamen omnes interpretantur. Euthymius quidem sic explicat, dicendo in illis verbis subintelligi, *Nunc*; vt sensus sit, nunc non ascendam, eò quòd nunc vigeat excandescentia Iudæorum. Chrysostomus verò & Theophylactus interpretantur, *Vobiscum non ascendam.* At Cyrillus intelligit, *Non ascendam ad celebrandum festum*, eò quòd vmbræ iam non sint cordi; ascendam autem ad docendum tantùm. *Non ascendit*, inquit ille, *festum diem acturus, sed admoniturus potiùs, & ad vitam æternam doctrina illos reuocaturus.* Cyrillo Theophylactus propè consentit: *Non ascendit*, inquit, *diem festum acturus, sed docturus; & non cum hilaritate, qua solent celebraturi ferias, sed clàm.* Deniq; alij dicunt: *Non ascendam ad diem festum, hoc est, ad initium festi, sed postea:* in medio enim festo ascendit, vt ait S. Ioan. Vel non ascendam, manifestè scilicet, sed quasi in occulto, quod etiam indi-

7. cap.

cat idem S. Ioannes dicens: *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi occultò, &c.* quamuis enim comitatus diſcipulis iter illud feciſſet, non tamen concionabatur, hominumq; poſt ſe multitudinem trahebat. Hæc ex nouo teſtamento; porrò ex vetere multa huius argumenti exempla afferre poſſem; ſed ne extra propoſitum meum docere hic, non autem ad obiecta crimina reſpondere videar, illud vnicum vtpote luculentiſſimum, & clariſſimum amphibologiæ paradigma, ex libris Machabæorum poſuiſſe ſit ſatis. Cùm crudelis ille, & barbarus Rex Antiochus,
7. *cap.* vt 2. Machab: ſcribitur, ſanguinis innoxij ſitientem gladium in egregios illos, & nunquam ſatis laudatos fratres ſeptem acerrimos diuinæ legis propugnatores ſtringeret, ſex iam è medio ſublatis, ſeptimi vtpote pueri, ac penè infantis, inſolita delectatus indole, animiq; magnitudine, eius pueritiam miſeratus, matrem pueri accerſiit, ſeuerè denuncians, vt ſi ſe, puerumq; ſaluum vellet, eum à propoſito abduceret, & ad Patrum ſuorum legem poſtponendam, Regiſq; faciendam voluntatem, impelleret. Promiſit mater ſe puero enixè ſuaſuram. Fecitné quod ſe facturam recepit? imo vt puer Regis imperium contemneret, pro patrijs legibus vitã, lacteumq; penè adhuc ſanguinem intrepidus funderet, multis cohortationibus, precibus, obteſtationibus, lachrymis, exorauit. Quid igitur? ergo mentita Regi eſt? at hoc de tam inſigni fæmina, & quam S. ſcriptura ibidem mirè extollit, & ſupra modum mirabilem dignãq; omni inter bonos memoria prædicat, affirmare temerarium & impium eſt. Coronidis loco huic probationi addamus teſtimonium, non alicuius è numero Sanctorum Patrum (fidem enim & robur apud Patronum Torunenſium non inueniret) ſed vnius Miniſtri è grege Caluini: Is eſt Franciſcus Iunius: qui apertis, ac diſertis

verbis,

verbis, Sacram scripturam vti æquiuocationibus docuit. *Æquiuocationem nominis Eunuchus,* inquit ille, *in S. scripturis vsitatam, aut non vidit Hieronymus, aut dissimulauit, quod magis putem, vt causæ suæ contra Iouinianum inseruiret. &c.* Discat iam vel à suis hæreticis Calumniator noster non omnem æquiuocationem esse mendacium: & in posterum de rebus sibi ignotis peritos reprehendere, si temerarius & impudens haberi non vult, nequaquam præsumat. Tu verò, Catholice lector, vel ex hoc vno exemplo Iunii collige quàm præceps, & inconsiderata sit hæretica temeritas, in reprehendendis sapientissimis, ac sanctissimis æquè Patribus.

In animaduersionibus in aliquas controuers. Bellarmini

Quartò, Fundatur hæc doctrina in Iure Canonico, & Ciuili, per multa capita, de quibus Doctores supra citati: & Didacus Couarruuias in variis Resolutionibus lib: 1. cap: 2. XI.

Quintò: optimis etiam ac euidentibus, minimeq; fucatis rationibus, eadem fulcitur propositio. ex quibus ego, ne longus sim, vnam dumtaxat afferam. Mendacium propriè strictè sumptum, quatenus scilicet vocibus tantùm continetur, nihil aliud est ex cõmuni sententia omnium SS. Patrum, Theologorum, Philosophorum, & Iuristarum, quàm dictum, seu locutio, qua aliquid contra id, quod animo & mente credimus, vel opinamur, affirmamus, aut negamus. De qua re videri potest S. Augustinus lib: de Mendacio, maximè cap: 3. D. Thom: 2. 2. q. 110. & alii. Duo igitur ad mendacium cõuenire necesse est: vnum, vt dicatur aliquid contra id, quod animo & mente concipimus, & opinamur. Sicut enim veritas, cui mendacium formaliter, & directè opponitur, est expressio veri opinione nostra; ita mendacium est expressio falsi opinione nostra. Et propterea S. August: docet cap: 1. mentiri eum, qui dicit verum, putans se falsum dicere; cùm loquatur contra id quod XII.

mente credit. Alterum est, vt sit dictum ex animo, & intentione dicendi falsum. Sicut enim veritas seu actus veritatis procedit in nobis ex assensu, seu intentione veri; ita & mendacium procedere debet ex intẽtione falsi. Et propterea idẽ S. Aug: asserit, eũ qui dicit falsũ, cùm putet esse verum, non mentiri formaliter; quia non intendit dicere falsum; imò formaliter verum dicere, cùm faciat hoc ex assensu & intentione significandi verum, etiamsi materialiter id, quod dicit, sit falsum. Ex his verò manifestè deducunt omnes sapientes, non semper æquiuocationem esse mendacium; cùm non semper in eo, qui vtitur æquiuocatione, seu oratione ambigua, reperiatur vel intentio dicendi falsum, vel locutio aliqua contra mentem, & opinionem suam (quod tamen vtrũque ex cõmuni omnium sapientum sententia vidimus requiri ad mendacium) sed mens tantùm dicentis aliter exprimitur, quàm alter intelligat. Exprimitur autem, vel quia eum etiam sensum verba, seu voces, natura sua admittunt, & postulant (dantur enim verba æquiuoca, ex institutione hominum, plura vt plura ac diuersa significantia, vt patet in propriè dictis æquiuocis) vel quamuis non postulent verba ipsa secundùm se, postulant tamen ex modo pronunciationis, vel ex mente nostra, seu animo & limitatione in mente retenta. quia scilicet non totum mentis nostræ discursum verbis exprimimus; sed alteram eius partem apud nos reseruamus, vt fit in amphibologia, quæ diuersos apud dicentem, & audientem, sensus recipit. Non tenetur enim semper, nec iure obligatur is, qui respondet, accipere verba in eo sensu, in quo accipiuntur ab eo, qui interrogat: nec conformare mentem suam, & sensum, cum mente & sensu illius, vt luce clarius est; cùm non semper hoc ius sit in interrogante: imò aliquando fiat contra ius respondentis, & cum maxima illius iniuria, si ita interrogetur.

Atq;

Atq; hinc eadem communis omnium Doctorum sententia illud deducit, nimirum cùm quis iure interrogatur, non licere ei vti sermone æquiuoco: contrà verò licere, si non iure, sed iniuria interrogetur; vtendum tamen eo sicut elleboro, hoc est, nonnisi in summa necessitate. Reddunt verò hi Doctores vtriusq; dicti rationem. Cùm enim iure rogamur, obligamur ad respondendum; ac proinde non licet nobis verba, quæ dicimus accipere in alio sensu, quàm accipiat is, cui respondemus. is enim, qui iure interrogat, ius habet ad interrogandum, ac proinde obligat ad respondendum, iuxta mentem ac sensum suum, alioqui iniuria ipsi fit; secus verò cùm interrogamur non iure, contra, aut præter ius. tunc enim non obligamur conformare mentem, & sensum nostrum cum mente, & sensu interrogantis.

Hinc verò patet, in quo fundetur hæc doctrina de æquiuocationibus; non in facto scilicet S. Francisci, vt calumniosè astruit Patronus Torunensium; sed tam in SS. Patrum omnium vnanimi sententia, quàm S. scriptura, Christi ipsius authoritate, ipsaq; ratione lumine nota naturali. Iudicet ergo iam prudens lector, vtrum dictum illud trium nostræ Societatis Theologorum mereatur censuram, qua Torunensis hic Cato notatos esse voluit: & qua ipse censura dignus sit, qui communem omnium Doctorum, atq; à sæculis omnibus approbatã ausus est damnare sententiam. Sed ea est Hæreticorũ natura, vt superbia & arrogantia inflati, non optimorũ tantùm dicta imperitè condemnent; sed ipsam scripturam Sacram partim reijciant, & inter fabulas, ac figmẽta Poëtica numerent: partim peruersissimè interpretentur. Illorum hæc doctrina est, quam nobis affingunt. Quî enim veritatem, aut loqui, aut docere, hi possunt, qui ex patre mendaciorum omnium nati, ipsaq; professione sua, ac instituto sunt mendaces? qui doctrinam in XIII.

fide, religionesq; erroneas, nouas, commentitias, amplectuntur?

XIV. Certè ex Hæreticis præcipui, & quidem Duces, Doctores aliorum, suo exemplo hanc artem æquiuocè mentiendi, quodque maius est, in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, docent. Beza primarius Minister Caluinisticus, sectam suam callidè propagare volens, æquiuocatione, hoc est mendacio circa fidem, ad id perficiendũ vsus est. Scripsit ergo Confessionem, in qua asseruit corpus Christi verè & realiter esse præsens in cœna. Addebat, in eam confessionem consentire Ecclesiam Heluetiorum & Geneuensium. Hoc ideo fecit; vt Lutheranos, qui agnoscunt veram & realem præsentiam Christi in cœna, dolo ad Sacramentarios pertraheret, quasi eadem esset illorum, quæ Lutheranorum sententia. Sed audite euentum. Triumphare de Sacramentarijs cœperunt Lutherani, palam pro concione, & in omni congressu dictitare, Geneuenses & Heluetios, teste Beza, à Caluino defecisse, & ad Lutheri hæresim concessisse; contrà negare Heluetii, in Bezam grauiter inuehi, mendacem, obtrectatorem, & quid non? proclamare, qui ea de iis falsò sparsisset, quæ in suscipiendis Religionibus temeritatem, in respuendis leuitatem arguerent. Beza verò ad æquiuocationum asylum confugiens respondit, se quidem scripsisse, sed à Lutheranis malè fuisse intellectum. Non enim locutum se esse de Cœna Domini quæ celebratur in terris (de qua tamen fuerat quæstio) sed de cœna quæ celebratur in cælo, vbi Christus verè ac realiter præsens est. Vide mendacis hominis figmentum. Referunt hanc historiam plurimi, sed luculentiùs Claudius Sainctes. Quid non fecisset hic Apostolus Caluinistarum, si iure interrogatus fuisset de ea re à Iudice? iurasset, & peierasset. Neque verò è Proceribus vestris Beza primus æquiuocè mentiendi viam ingressus est; præ-

Resp. ad Apolog: Bezæ.

iuit ipse

fuit ipse princeps, & Apostolus Caluinus. Cùm enim multùm facere iudicaret ad Lutheranorum gratiam suę sectæ conciliandam; si illorum opinioni de reali præsentia Christi Corporis in Eucharistia subscriberet; subscripsit, atque sibi ea in re cum Luthero conuenire voce externa professus est Argentinæ, longè aliam interim habens mentē. Audite Torunenses, & tertii vestri Doctoris æquiuocationes, hoc est mendacia: audite autem ex ore ipsius, nimirum Suinglii, qui fatetur se multò ante sensisse Christum non esse præsentem in Eucharistia, & Lutheri contrariam sententiam falsam existimasse; noluisse tamen id palàm profiteri, sed tempori seruire. Itaq; se publicè quidem doctrinam Lutheri promouisse; occultè tamen eam damnasse, & alteri adhæsisse. Videtis vt æquiuocabat, & multoties, nimirum quoties lingua Lutherum, animo Sacramentariam hæresim gerebat, hancque suam doctrinam, cui ipse non assentiebatur, aliis proponebat. Parum erat huic pessimo Hæresiarchæ vnico scelere tunc obstringi; maluit duobus, & mendacio, & hæresi. Mendacio, quia loquebatur contra mentem suam, tacitum tamen habuit conceptum, & mentis restrictionem, vt ipse fatetur, ita loquendum esse modò, vt tempori seruiatur: Hæresi verò, quia docebat sententiam, & quidem publicè, quam iudicabat erroneam, & hæreticam. Quid ad hæc respondes, Patrone? Si concedis, cur nobis obiicis, & illicitum ducis, quod licere Apostoli tui verbis, & exemplis, docuerunt? Si negas, conuincimus, partim illorum ipsorum confessione, partim probatæ fidei historicorum authoritate. quod ego hîc breuiter præstiti; conuincimus deinde Caluini posterorum consuetudine; qui, quæ de æquiuocationum vsu à suis maioribus acceperunt, etiamnum tenacissimè retinent: nihil per calumniam (vti tuum solenne est) fingo: exemplum lippis, atque tonsoribus, notum pro-

De vera & falsa relig.

pono

pono Puritanos in Anglia, qui ad Regem Angliæ spiritualem principatum cum sæculari potestate pertinere verbis quidem fatentur & iurant; re vera autem nihil minùs sentire se, quin & detestari, tanquam rem contra Religionis suæ dogma, luculenter in libris declarant. Quid tibi videtur? ambiguoné tunc vtuntur sermone, an non? si ambiguo, igitur æquiuocè mentiuntur; sin secus, mentiuntur nihilominus, & peierant; vtrumuis delige. atque tuos fraterculos, vel absolutè, vel æquiuocè mendaces, & periuros indigeta.

XV. Sed & vester Patronus, Torunenses, egregiè suos Magistros hoc in genere est imitatus: & in hoc vestri patrocinio vti arte æquiuocè loquendi non omisit. Affirmat enim Augustanam Confessionem Torunij, quam ait vos primarios propè omnes profiteri, à nobis impediri: quod contra mentem loquitur, cùm sciat vos Confessioni non Lutheranæ, sed Caluinianæ adhæsisse. quã ille tacita mente nomine Augustanæ Confessionis in gratiam vestram intelligit, & ideò æquiuocat; ac proinde iuxta suum hîc decretum & doctrinam mẽtitur. Quid enim? an non Confessio Augustana (vt plura alia, quæ tanquam articulos fidei credenda proponit, omittam, de quibus consuli potest disputatio satis longa, quam audacter nuper Regiomonti Prędicans Lutheranus edidit contra Caluinistas) exigit, & præcipit Missam celebrari?

Art: 10. ita enim habet: *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant. retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.* Sed non mirum vos vestram sectam Caluinianam titulo Augustanæ Confessionis ornare, cùm & Ariani Silesitæ appellarint nuper suam perfidiam Confessionem Augustanam. quod ipsum etiam rationibus in libello edito conantur ostendere, & aliis persuadere. Ita est: nam iuxta vestrum primarium Ministrum Torunẽsem Ioannem Turnoueum, quod ille non semel pro cõcione

cione dixit, Lutherus & Caluinus, quamuis contraria & pugnantia in rebus aliquibus pertinentibus ad fidem, & necessariis ad salutem consequendā doceant; idem tamen sentiunt, si sanè intelligantur. Pari igitur ratione & Arrius idem cum Luthero, & Caluino, imò & cum omnibus aliis Hæresiarchis & Apostatis sentiet, si sanè etiam intelligatur. Atque ita omnium istorum trium secta, & quæcunque tandem alia, Confessio Augustana meritò appellari poterit. Vos videritis. Hæc, vt summā iam huic capiti imponam manum, quæ paulò fusiùs de æquiuocationibus disputaui, videat, & attētiùs legat Anonymus; & in posterum nobis mendacia obiicere non præsumat: ipseque cum suis cautiùs falsa loqui discat; ne, dum confutatur, & falsitatis palàm arguitur, toties erubescat.

CAPVT SECVNDVM.

Refelluntur calumniæ circa doctrinam de Tyrannicidio.

MIrabitur forsitan quispiam, quare Patronus Torunensium materiam de Tyrannicidio fuerit aggressus, & doctrinam nescio quam erroneā, & planè hæreticam, circa hoc argumentum nobis obiecerit. Sed in promptu causa est, locus is inuidiosus erat. Sciebat nostræ Societatis homines magnam Regum, & Principum, in omni Regno, & Republ. suis virtutibus gratiam collegisse, & eorum opibus, atque authoritate, multùm in suo instituto vbique promoueri, & defendi. quod ille vipereo intuens oculo, crepare sibi penè videbatur, nisi virus in visceribus conceptum per suam maledicam orationem in nos effunderet; quò & nostram

existimationem, non eleuaret solùm, sed perderet penitùs; & nos in inuidiam apud Reges, & Dynastas, adduceret. Quid enim tam inuidiosum apud Reges, quàm vitam eorum, qui rerum potiuntur, in manibus subditorum ponere? & lanienâ, vt ita dicam, summorũ Magistratuum vilissimi cuiusq; voluntati permittere? quin ijs etiam, qui tantùm facinus designent, impunitatem à Deo promittere? qui perficiant, religionem & scrupulum eximere? Et certè hæc talia sunt, vt non solùm Regibus stomachũ mouere, & terrorem incutere possint; sed ipsis suis authoribus extremam afferre debeant perniciem. quod tamen nobis hic sine fronte Alitoclastes ascribit. nec tamen ex se, sed ex aphorismo criminationis Iesuitarum, & ex Anticotono, ex quibus hæc ad verbum corrasit. Addo & illud, voluisse Anonymum, hominem scilicet eruditum rerumque gnarum, aut nos hæreseos notare, aut hoc pestilens hæreticum, sanguinarium dogma (quod apud ipsos ratum fixumque habetur) vulgo mobili nostra authoritate commendare, & (vt constans Ministrorum voluntas est, suos ad omnem improbitatem adhortari) subditos in suos dominos armare, atque ad c dem Principum priuata simultate & odio incitare. ex quo planè, quanta sit huius Pseudoplastæ improbitas, & maledicendi libido, liquidò apparet: qui res huiusmodi, de quibus tum SS. Patres, tum alii Doctores, & aliqui ex nostra Societate, magna circumspectione disputârunt, graui Reipub. periculo in vulgus inconsideratè spargit, nosque tam peruersæ doctrinæ, quam vno omnes ore damnamus, & execramur, authores esse criminatur.

II. Sed quid tandem contra nos hoc in genere eructat? Affirmat ab vniuerso nostro Ordine doceri, licere ac laudabile esse, ab vnoquoque priuato priuata authoritate sine vlla limitatione, aut restrictione, occidi quem-

cunque

cunque Tyrannum: nomine cuius asserit intelligi à nobis, non Nerones, Caligulas, Diocletianos, Maximinos; nec Dionysios Syracusanos; sed omnes Reges, ac Principes, qui vel Hæretici à nobis iudicantur, vel licet Catholici sint, exciderunt tamen à summi Pontificis gratia; aut non patiuntur se ab eo priuari diademate Regio; aut deniq; *qui nostri Ordinis attentatis* (vt ille loquitur) *quoquo modo contra nituntur. Quæ doctrina*, inquit, *nouorum istorum Apostolorum Hispaniæ hæretica est; & à duobus Conciliis, Constantinopolitano, & Toletano, damnata.* Hanc verò suam calumniam, inde contra nos probat: *quia*, inquit, *ita docent, Mariana vester in suis libris de Rege, & Regis institutione; qui libri permissu Prouincialis vestri cum approbatione Generalis editi in lucem sunt; & in Catalogo vestrorum librorum à Ribadeneira positi: Sanderus Iesuita de Monarchia visibili: Emmanuel Sa de institutione Confessariorum: Martinus Becanus in nescio quo libro: denique quidam alij in libellis anonymis.*

Videamus hunc nodum, non ita tamen difficilem, vt Alexandri gladio ad eum discindendum sit opus. Euolui ego diligentia qua potui maxima libros nostrorũ, qui hoc argumentum de Tyrannicidio tractârunt, & in lucem ediderunt: & inueni claris & disertis verbis doceri ab ijs, non licere priuatæ personæ, aut subdito, priuata authoritate interficere quomodocunque Tyrannum, qui iusto seu legitimo titulo regnum possidet, siue per electionem, siue per hæreditariam successionem, tyrannicè tamen illud administrat. Ita Alphonsus Salmeron *in Disp: 5. in c. 13. Epist: ad Rom:* vnus ex ijs decem, qui nostræ Societatis primitiæ fuerunt. Cardin. Bellar: in Apologia ad præfationẽ Regis Angliæ *c. 13.* Ludou: Molina *tom: 4. de Iustitia & Iure, tract. 3. disp: 6.* Greg: de Valencia *tom: 2. in 2. 2. D. Thom: q. 8. de Iustitia, puncto 3. & tom: 3. disp: 5. & 8.* Ioannes Azor *tom: 1. Institut: moral: lib: 8. c. 12. & 26. & tom: 3. lib: 2. c. 2. & 7.* Toletus *lib: 5. summ: c. 6.* III.

Leonardus Leſſius *lib:2. de Iure & Iuſtitia c. 9. dubio 4.* Franciſcus Suarius in lib: defenſionis fidei Catholicæ aduerſ: Anglicanæ ſectæ errores *lib: 6. c. 4. n. 16. & 17.* Emmanuel Sà *verbo Tyrannus, n. 2.* de quo tamen impudenter affirmauit contrarium Patronus Torunenſium hîc, vt vidimus. Ludouicus Richeomus in Apolog: ad Henric: IV. Francorum Regem. Iacobus Gretſerus in ſtigmate Miſſenico, & in Veſpertilione Hæretico. Sebaſtianus Heiſſius in declaratione Apologetica contra Aphoriſmos doctrinæ Ieſuitarum. Martinus Delrio in Hercule Furente Senec. ℣. *920.* Martinus Becanus in Reſponſione ad Aphoriſmos Caluiniſtarum; de quo tu tamen, neſcio qua fronte & quo ore, contrarium aſſeueras. Nicolaus Serarius *in cap: 3. Iudicum.* Petrus Cotonus in ſuo libello. Ioannes Perpezalius contra Anticotoni criminationes. Iacobus Gordonius in Chron: *Anno 1589.* Andreas Cydonius in Apologia.

IV. Atque hi ſunt præcipui & illuſtriores viri Theologi noſtri Ordinis. qui tantùm abeſt, vt id doceant, quod Patronus Torunenſium vult, vt etiam in longè diuerſiſſimam, ac toto cœlo diſſitam abierint ſententiam; quam etiam ex profeſſo firmiſſimis rationibus comprobárũt. Nam inprimis Salmeron lo.ci. docet, non eſſe priuati iudicare de principibus, vtrũ iure vel iniuria regnent, *&c.* mandatum etiam eſt nobis indiſtinctè obedire Dominis, & Principibus etiam diſcolis, id eſt moroſis & difficilibus: & hoc ſancti fecerunt: & Chriſtus in exemplum noſtrũ humiliter ſe ſimilibus poteſtatibus ſubiecit. *&c.* Suarius docet, nullum omnino Principem propter tyrannicũ regimen, vel propter quæuis alia crimina, poſſe iuſtè ab aliquo priuata authoritate interfici, quod his ſuadet rationibus. Quia talis peccaret contra Iuſtitiam. *Si enim,* inquit, *homicidium eſt propria authoritate occidere priuatum hominem, quamuis homicidam, latronem, & Aſſaſſinum:*

multò

multò maius crimen est, manus in Principem, licet iniquum, & tyrannum, propria authoritate extendere. Et hoc ex D. August: deducit. qui ait, non licere cuiquam priuata potestate hominem occidere nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit. Deinde ait; *Aliâs nulla posset esse in Regibus & Principibus securitas; nam facilè Vasalli conqueruntur, quòd ab eis iniustè tractentur.* Lessius verò dicit; *Etiamsi Rex aut Princeps auferret bona subditis; etiamsi Ecclesiam persequeretur, & ad impietatem cogeret: etiamsi tyrannis illius adeò excresceret, vt intolerabilis esse videretur; tamen vitam illius nullo modo periculo necis licitè esse expositam.* quod ita defendit. Primò, quia non desinit esse Superior (quæ ratio etiam est Becani) Superiores autem Deus honorari præcipit, tanquam eos, quibus ipse potestatem dedit. Non est enim potestas nisi à Deo. Secundò, quia habenda est ratio Maiestatis Principalis, quæ omnibus Sacrosancta esse debet, cùm nobis authoritatem Diuinam repræsentet. Idem docet & Valentia; *quia si liceret*, inquit, *Tyrannum occidi, Principes omnino authoritatis vsum in gubernando amitterent, dum suis conatibus quilibet perperam posset resistere.* Toletus etiam loco suprà allato docet; Asserere Tyrannũ Regio titulo gaudentem quia tyrannidem in subditos exercet interficere, est Hæreseos conuinci à Cõstantiensi Concilio. Gordonius verò facinus illius homicidæ, qui Henricum III. occidit, execratur, non verbis tantùm, sed & argumentis. *Parce, lector*, ait ille, *quisquis es. facere non possum, vt hoc malè feriati hominis, & iniqui percussoris facinus temerarium, vehementer non damnem. Scribant exterarum nationum homines, quæ velint; ego nullo vnquam diuino, vel humano iure permissum puto subdito priuato his artibus in Principem insurgere, quamuis ille Hæreticus foret: nedum si legitimus, si Catholicus est, si Christianissimus. In scelere nulla religio est, & malis artibus diuinum numen nunquam bene colitur.* Azor item, nullum tyrannum fas esse priuato perimere, multis erudité, ac

Aug: 1. ciu. 17. & 18. c.

ditè, ac piè probat: inter quæ est illud, quòd ita leges ferant, consuetudoq; communis; vt nemo vnus de re quã vsu possidet, vel mancipio, deijei ac deturbari iure possit, indicta causa & indemnatus.

V. Iam Emmanuel Sà, quem hic Patronus in Institutione Confessariorum affirmat idem cum Mariana de Tyrannicidio sentire (scilicet non solùm iure, sed etiam cum laude, & gloria posse perimi Reges, ac Principes, non solùm si Rempub. opprimant, sed etiam si vectigalia insolita populis imponant, vel bellum sine consensu eorum gerant) disertis verbis pronunciat, ne dominio quidem iustè acquisito, multò ergo minùs vita, posse vllum, quamuis illud Tyrannicè gubernet, à priuato spoliari sine publico iudicio. Deinde ferè nihil ille in toto illo libro ex propria sententia, sed ex aliorum Doctorum, maximè antiquorum docet, ac propterea Titulum libro illi imposuit, *Aphorismi Confessariorum, ex Doctorum sententijs collecti*: vnde nec rationibus ibi probat quicquam, sed de vnaquaq; re proposita docet hanc esse sententiam Doctorum, vel illam.

VI. Ioannem Marianam, quamuis libros eius ad manũ habere non potuerim, contrariam sententiam scripsisse non dubito, cùm Cotonus noster publicis literis in Gallia Marianæ doctrinam de hac re damnârit, & librum eius meritò à Curia condemnatum pronunciârit. Et idẽ fatentur alij tres ex nostris, Andreas Cydonius, Sebastianus Heissius, & Ioannes Perpezalius, locis citatis. Addunt tamen ijdem hæc duo: primum est, ab aduersarijs (quos imitatur Patronus Torunensium) verba Marianæ mutila, trunca, deformata, & pro suo libitu immutata citari, & ea occasione plura huic authori affingi. Alterum est, Marianam ad calcem capitis, de hac sua sententia, quam subdit iudicio prudentiorum, sic dicere: *Hæc nostra*, inquit, *sententia est à syncero certè animo profecta; in qua,* *cùm falli*

cùm falli possim, vt humanus, si quis meliora attulerit, gratias habeam. Videsné hinc, versute & callide veterator, hanc non esse communem Societatis nostræ sententiam, cùm eam Mariana priuatam, suam, propriamq́; nec adeò certam esse apertè protestetur. quam & alij nostri Ordinis homines talem esse, nec à quopiam tenendam iudicāt; imò & ipse Societatis nostræ Generalis piæ memoriæ Claudius Aquauiua, quem tamen hic Patronus pro suo instituto, vt omnium nostrum famam denigraret, libros Marianæ approbasse pronunciauit. Extat ea de re decretum ipsius in omnes terras, in quibus Societas propagata est, ab eo missum (quod typis iam Lugduni vulgatum in respōso Apologetico aduersus Anticotoni criminationes: & Cracouiæ in Epistola P. Argenti ad Serenissimum nostrum legi) in quo seuerè cauit, ne quisquam ex nostræ Societatis hominibus publicè, aut priuatim, prælegendo, seu consulendo, multò etiam minùs libros conscribendo, affirmare præsumat licitum esse cuicunque personæ, quocunq; prætextu Tyrannidis, Reges, aut Principes occidere, seu mortem illis machinari.

Sanderus porrò quid dicat, non laboro, cùm non fuerit Iesuita, quamuis talem eum fuisse pro sua constanti scilicet in veritate dicenda voluntate noster Anonymus asseruerit. Reinaldus ex nostra Societate nullū librū scripsit, vt patet ex indice Societatis nostræ Scriptorum. VII.

Pluribus adhuc probare possem falsò & per calumniam nobis obiici ab hoc Patrono doctrinam de occidendis Principibus à nobis foueri, & in scholis ac pulpitis tractari. Sed quid opus tot gladios ad profligandum eum hostem conquirere, qui leui vel ipsius aëris impulsu cadit. Ipse ego testis oculatus huius rei esse possum, qui Romæ ante quindecim annos audiui cursum Theologicum: & totis decem annis ibi mansi: nec tamen à quoquam hanc tractari quæstionem audiui: cùm tamen VIII.

nullibi tutiùs quàm ibi, ſub brachio Pontificis tractari poſſit. Quod ſi alibi nonnulli meminerunt,id fecerunt, vel quia commentarios in D. Thomam edebant, ac proinde in hanc ſententiam, de qua etiam ipſe diſputat, aliquid dicere cogebantur: vel quia, cùm id ad Conſcientię caſus pertinere iudicarent,quid in hac re ſentirent alii,& quid licitum, quid illicitũ eſſet,docere voluerunt.

IX. Ex his, quæ hactenus de hoc argumento dixi, puto vnumquemq; facilè huius Anonymi tam apertas calumnias cogniturum, & redarguturum; qui ea noſtris Doctoribus affingat, quæ apud illos non legerit, aut viderit,nec inuenire quantumuis ſcrutetur,poſſit; ſed quæ ex famoſis tantùm libellis contra Ieſuitas editis acceperit, eorum doctrinam calumniando, & quæ illi ne ſomniarunt quidem, referendo, gloriam nomenque viri eruditi & Theologi ſibi cõparare velit. Quis verò non apertè mendacii coarguet eum, à quo viderit in numerũ authorum Societatis referri, & Ieſuitas appellari, qui de Ieſuitarum inſtituto ſuſcipiendo fortaſſe ne cogitarunt quidem? Iam quid de doctrina illa nobis afficta dicet, qui tam turpe ac luculentiſſimum in rebus tam apertis mendacium viderit? Quis credet hoc doceri à nobis, licere occidi quemcunque tyrannum ſine diſcrimine, qui non Nero ſit, aut Caligula; ſed vel Hæreticus, aut gratia ſummi Pontificis exciderit?

X. Tua hæc, Acephale, noua & hæretica, tuiq; ſimilium Miniſtrorum eſt doctrina, non noſtrorum. eam enim vos auidiſſimè amplectimini, & oblata quauis cõmoda, incommoda occaſione, contra Catholicos Reges, omnibus veſtris maximè perſuaſam eſſe cupitis. vide ſi placet P. Andreæ Cydonii è Societate Apologiam pro P. Henrico Garnetto aduerſus actionem proditoriam Edouardi Coqui Aduocati Londinenſis (quam illius actionem, & Anticotoni criminationes puto te habere,

bere, ſiquidem plurima ex eis mutuatus es, & in hoc tuũ panpſeudion ineptè & impertinenter tranſtuliſti.) qui manifeſtè multis oſtendit hanc eſſe Hæreticorum doctrinam, licere quemcunque Catholicum Regem, qui ſuas hæreſes nõ foueat, nec ſuccreſcere permittat, à quouis priuato occidi. Idem ex Gulielmo Reinaldo refert, plurimos Miniſtros Hæreticos libellis paſſim editis docuiſſe, fuiſſe licitum priuato cuique Euangelico Carolum IX. Galliæ Regem, quem tyrannum vocabant, trucidare. Lege & Apologiam Ioan: Perpezalii contra criminationes Anticotoni. in qua reperies plurimorum veſtræ ſectæ hominum verba cædem Regum crepantia, viam ad rebellioné patefacientia, & deniq; in eam cunctantes propellentia. Sed ne te ſuſpenſum & ambiguum relinquam, afferam & ego tibi aliqua in hoc genere ex veſtris Doctoribus, ac penè Apoſtolis.

Audi quid Suinglius in primo excuſſorum voluminum indice à Gebenenſibus dicat: *Reges*, inquit, *improbos, hoc eſt Catholicos* (vt ille more ſuo ibi loquitur ſæpè) *euerti fortunis, regnoq; decet.* Probat hanc ſententiam nihilo melior Suinglio Caluinus, eamq; Saulis & Manaſſis exemplo declarat. Et quamuis ſuam ſententiã de hac re vulpino more ibi nõ probat; in Daniele tamẽ quid ſentiat clarè oſtendit. *Principes*, ait ille, *qui turrim ſe contra Deum extollunt, ſua ſe ipſi potentia priuant; imò verò indigniſſimi ſunt, qui in hominum cœtu ac numero reponantur. Potius igitur illis eſt facies conſpuenda, quàm ipſorum imperiis obtemperandum, niſi omnem ſuperſtitionem extirpent, & funditus tollant.* Videſné quid hic veſter theologaſter dicat? cur in ipſum non inueheris, qui Reges eo ipſo quòd Catholici ſint (hoc enim per ſuam ſuperſtitionem intelligit, ſiue quicquid tandem ſit aliud) ſine vlla alia limitatione, indignos hominum conſuetudine, & è medio tollendos pronunciat? Quid tale vnquam à nobis dictum eſt? cur XI. 6. cap.

tantùm maledictum huic scelesto Apostatæ non exprobras? cur eum non lacessis, quem tam apertè deliquisse vides? at in nos, in quibus nihil tale inuenire potes, ex mera maledicendi voluntate linguam maledicam, & calamum stringis? Mirum est ita te maleuolum esse, vt in nobis crimen reprehendas, à quo nos longissimè scis abesse; & in iis dissimules, quos illius maximè reos esse animaduertis. Sed nondum finis. Scribit præterea de eodem Caluino, & Beza, Stanislaus Rescius vir magnæ authoritatis in suo opere de Atheismis, quod Serenissimo nostro Sigismundo III. dedicauit, habitũ fuisse ab his duobus hæreticis, & quibusdam aliis, Geneuæ consiliũ, de Francorum Rege & Regina vxore, & Regina matre eiusque liberis, ad certam diem per insidias trucidandis. Cuius consilii & conspirationis inuenta fuit, & impressa epistola Caluini ad Viretum Lausanæ, sicut habet & testatur Bolsecus in vita Caluini. Citauit verba huius epistolæ nuper Aduocatus quidam Gallus corã Parlamento Parisiensi, quæ etiam & typo Gallicè vulgauit. Si rectum integrumque animum Reges, eorumque incolumitatem defendendi haberes, non deessent tibi hæretici, contra quos tuum calamum intorqueres. En habes Caluinum, & Bezam. vides quid fecerint ipsi, quidué docuerint. non te latet etiam ab aliis hæreticis sexcenta alia funestiora edita esse. Sed effera maledicendi libido animum tuum veluti effusi torrentis impetus abripuit, & in transuersum egit; adeò vt palam sit, te non veritati patrocinari, sed innocentibus maledicere, in eos excandescere, ac omnibus modis ipsos criminari studuisse. Ideo ea crimina illis affinxisti, quæ in tuis Hæreticis meritò vides reprehendenda. Denique Sleidanus Luthero genitus (vt vtriusque sectæ tam Caluinianæ, quàm Lutheranæ hanc præclaram doctrinam esse scias) sic ea de re scribens, ait: *Quia Cæsar religioni* Lutheranæ *exitium molitur*

Cap: 2. fol: 155.

Cap: 21.

Lib: 11.

molitur, & libertati, causam præbet cur illum oppugnemus bona conscientia. Cùm enim in eum casum res deuenit, licet resistere, sicut & sacris, & profanis historiis doceri potest. Quid his verbis clariùs dici potuit? & tamen hic Patronus adhuc vociferabitur, à Iesuitis licitum tyrannicidium doceri, cùm hoc ipsius Magistri & asseclæ faciant? Nolo hic præclaram illam furentis Buchanani insaniam ex historia Scotica præterire, qui impudentissimè Reges omnes, qui tyranni sint (tyrannos autem illos esse vult, qui Caluiniano obsistunt Euangelio) veluti belluas feroces mactandos docet, eosque latrones, bestias, vrsos, simias, Satyros, lupos appellat: *Quamuis,* inquit, *sermone, vultu, aut gestu hominem mentiantur, quos qui alit, & sibi perniciem alit, & aliis:* & tandem concludit: *Esse tyrannum veluti scopum ad vniuersorum mortalium odium propositum, in quem omnia colliment, omnium sagittæ dirigantur.* O peruicacissimum os! Plura videri possunt in Amphiteatro honoris, & in libro Rescii, & apud Florimundum Reymundum Galliarum Regis in Curia Burdegaleñ Consiliarium, in historia ipsius de ortu & progressu hæreseon huius sæculi, parte altera *lib: 7. cap: 17.* vbi etiam, quomodo hanc sententiam scholæ Lutheranæ, & Caluinistici discipuli obuiis, vt aiunt, vlnis excipiant, & amplectantur, & cùm possint executioni mandare non negligant.

Exemplum huius rei Prædicantes desiderant. affero vnum ex multis, quòd negabit nemo, nisi is qui negare velit solem hunc in meridie lucere. Edinburgi in Scotia ante annos decem, vel duodecem, die 17. Septẽb. duo millia hominũ contra Iacobum Regem nunc Britanniæ arma sumpsêre. & quo authore? certè non alio, quàm Ministris, qui palàm in foro lymphatis turbatoribus, quàm Euangelicis Ministris similiores cursitabant multitudini animos addendo, & vociferando; *Deus, & Ecclesia.* Quorum quidem cruentas manus ad prædam XII.

 destina-

destinatas in illo tumultu vix euasisset, nisi valida opificum manus satellitio Regio accessisset, vimque illatam vi maiore propulsasset. Edinburgum flammis vltricibus prima Regis ira addixerat; verùm mutato postea decreto flammas mulcta pecuniaria graui redemit, Prædicantibus aliquibus pulsis, in quorum numero fuit operis huius author in Scotia Prædicans Robertus Brussius, qui ad Marchionem ad Hamelon literas dedit, quibus eum solicitauit vt *veniret ad auferendam coronam* (ipsius verbis vtor) *ab indigno Rege Papistis fauente*, suamque & suorum operam in eo negotio illi est pollicitus: sed fide ille meliore nefarium consilium Regi detexit: literas Ministri ad ipsum detulit: &, quòd rapaces lupi in Caluiniana schola ouium pellibus tegantur, demonstrauit. En habet Patronus Torunensium, quòd hîc tantopere expetiit. *Ostende*, inquit, *Iesuita, Euangelicos hanc de occidendis Regibus doctrinam tractare.* En habes; lege, si antea non legisti: & verissimum esse illud vestri Euangelii Elogium fatere, quod Orator pro Societate nostra à quodam ex ipsis vestris Ministris, non minùs verè, quàm ingenuè scriptum attulit, *Euangelium vestrum sitire sanguinem.* Nec Comitia Regni defendunt vos ab hac nota, cùm falsum sit Euangelicos plerosque (vt excipiam quosdam præclaros ex Nobilitate nostra viros, licèt in hæresi existentes, rationis tamen rectæ ductum sequentes, quorum certum est mihi non esse hæc sanguinaria consilia) nihil nisi pacem inter dissidentes de Religione cupere, & sitire. An enim pacem sitire est inter dissidentes de Religione cupere, & vrgere, vt templa Catholica à Catholicis fundata, & erecta, pro libitu vestro ad Ministros Hæreticos transferantur (quod expetierunt quidam Hæretici in Comitiis anni 1613.) vt liceat ablata ampliùs non restituere, Iura Ecclesiastica peruertere, & munia Ministris hæreticis demandare? quæ ista pax? quæ enim conuen-

tio luci

tio luci ad tenebras, Christi ad Belial, Catholicis ad Hæreticos?

Sed redeo ad propositum. Hæc ergo doctrina vestra, Anonyme, de occidendis temere Regibus illa est, quam Concilium Constantiense (vt tu bene hic tantùm refers, licèt non ad mentem tuam) damnauit, cùm eam duo improbi hæresiarchæ vestri maiores, & atauì, Viclephus, & Ioannes Hus, spargerent; contra quos illud Cõcilium fuit coactum. Hi enim docebant licitè posse occidi quemcunque tyrannum: quod in scelus abominandum ex hoc principio erant prolapsi. existimabant enim, quod & palàm docere sine fronte audebant, dominos temporales per quodlibet peccatũ mortale amittere principatum ipso facto; & ideo posse per suos subditos ad suum arbitrium corripi. Nomine verò tyranni intellexisse eos etiam eum, qui regimine tantùm tyrannus esset, patet ex session: 8. & 15. eiusdem Concilii, vbi illa verba horum hæresiarcharum afferuntur; *Quilibet tyrannus potest, & debet occidi, licitè & meritoriè, per quẽcunque Vasallum, & subditum suum, & per clanculares insidias, & subtiles blanditias, & adulationes, non obstante quocunque iuramento, seu confœderatione facta cum illo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque.* Damnat verò Concilium hanc doctrinam, primò propter suam vniuersalitatem, quia vocibus illis, *Quilibet tyrannus*, õnes Reges ac Principes, tyrannicè tamen regnum administrantes, comprehendit. Damnat secundò propter suas ampliationes, quia per illa verba; *non obstante quocunq; iuramento, &c.* contra naturalem rationem omnia pacta & iuramenta hominum, quæ suam fidem semper in omni populo etiam barbaro habent, subuertit, ac diruit. Tertiò quia multis sceleribus viam aperit, quam etiam rationem Concilium in suo Canone tetigit. *Nuper accepit S. Synodus, quòd nonnullæ assertiones erroneæ & infidæ, & bonis moribus mul-*

XIII. *Sess: 15.*

Sess: 15.

 ribus mul-

ribus multipliciter scandalosæ, Reipublicæ statum & ordinem subuertere molientes, dogmatisatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est; Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi,&c. vt suprà. *Aduersus hunc errorem, satagens S. Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, definit, huiusmodi doctrinam erroneam esse in Fide & in moribus, ipsamq; tanquam scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt Hæretici, & tanquam tales iuxta Canonum sanctiones puniendi.* Videsné Iesuitomastix, quorum caput Canon hîc feriat? nostrumné, qui hoc dogma pestilens cũ omnibus bonis impugnamus, vt iam videre potuisti? an vestrum, qui nihil maiori contentione docetis, quàm hoc,& vt verbis Seriai seu Rosceri Hugonotorum Ministri vtar, *cuiq; è populo gladium porrigi* vaticinamini ad Regem quemcunq; transfigendum, vt primum Euangeliũ Suinglij, vel Caluini, vel Lutheri, suo in regno abolere, & reprimere cœperit?

XIV. Non potes ergo esse nisi homo impudens,qui hanc insaniam,quam tuorum Ministrorum esse scis,nobis adscribas. Nulla enim hactenus ab exordio nostræ Societatis hæresis in nostrorum doctrina in veritate inuenta est. Nulli etiam libri errorem,aut hæresim continentes, Romæ vendi permittuntur, cùm examinatores, sine quorum trutina nullus liber lucem aspicit, nec venalis publicè exponitur, sint serij hac in parte, diligentes, versati, docti, nihil tacentes, etiam doctrinas sanas ob maiorem certitudinem in dubium reuocantes, eas omnibus modis expendentes, & examinantes.Cùm ergo tanta diligentia, tam nostræ Societatis, quàm aliorum libri examinentur, nullus tamen hactenus in illis error, nulla hæresis, à tot sapientissimis viris est inuenta, quàm no-

sturnus hic vespertilio cæcis nescio quomodo inuenit oculis, qua fronte eam Torunenses Hæretici cum suo Patrono nobis obijcient? Nosné hic conuitiator è triuio, qui nec dum ferulæ manum subduxit, hæreseos condemnabit, quos summi Antistites, fidei Catholicæ propagatores, hæreseon euersores, pietatis Christianæ Doctores & Magistros agnoscunt, & prædicant? Abi, Acephale: nec priùs de hæresi & erroribus in nostris doctrinis iudices, quàm tu ipse Orthodoxæ fidei consentias, & Theologorum scripta nocturna diurnaque manu sedulus versaueris.

CAPVT TERTIVM.

Nostræ Societatis homines, nihil vnquam nouum, & non Catholicum docuerunt de Summi Pontificis potestate in temporalibus.

VIdeamus, quid nouus hic Theologus de Pontificis Romani potestate in temporalibus super Regna & imperia obganniat? Ait hanc potestatem solùm à Cardinali Bellarmino, & à nostræ Societatis hominibus illi adscribi; & vt ab omnibus pro lege, & articulo fidei habeatur, doceri: dicitq; hanc doctrinam esse nouam, & hæresim contra SS. Patrum decreta, & placita. Operæprecium est improbam hanc istius theologostri impietatem coarguere & confutare, & nostrum Ordinem à calumnia vindicare. I.

Primùm ergo certum est nihil de Summi Pontificis potestate dici à Theologis nostræ Societatis, qui de ea re aliquid scripserunt, quàm quod Catholici Doctores à II.

sexcen-

ſexcentis & vltrà annis docuerunt; quàm quod decem Concilia antiquiſſima, legitima, & Catholica, ex quibus duo generalia fuerunt, definierunt & approbârunt. Citat Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus in eo libello, quem hic Patronus plusquàm Theonino dente rodit, & lacerat, hæc Concilia: citat & illuſtres Scriptores non noſtri Ordinis ſupra ſeptuaginta ex omnibus nationibus, Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Scotia, Anglia, quorum aliqui ante ſexcentos annos floruerunt, quique diuerſis ſæculis in diuerſis Chriſtiani orbis partibus, non ſolùm doctrina, ſed etiam ſanctitate, & miraculis, Eccleſiam Chriſtianam illuſtrârunt. Citat & Franciſcus Suarius alios, in lib. *Defenſio: fidei Catholicæ & Apoſtolicæ aduerſus Anglicanæ ſectæ errores.* Deniq; profert ſex alios diuerſos Andr: Cydonius *in Epiſtola Monitoria ad Ioannem Barclaium* §. 46. Qua fronte igitur hic homo, auſus eſt vocare in dubium noſtræ Societatis ea de re ſententiam, & eam hæreſim, & contrariã SS. Patrum doctrinæ appellare, noſtramq; tantùm eſſe dicere? mirũ quòd tam impudenter Patronus veritatis, qualem ſe ille appellauit, contra veritatem loquatur. Sed & immeritò faſtus, & ſuperbiæ, condemnat Gregorium VII. propter eam poteſtatem ſibi vendicatam. cùm eam multò antè Summi Pontifices ſe habere non ignorarent, eaq; vti nõ dubitarent. An non 300. & vltra annis ante Gregorium VII. Gregorius II. Romanus Pontifex, ante 900. à noſtro ſæculo annos agnouit ſe hanc habere poteſtatem, & vſus eâ eſt, cùm in Synodo (vt teſtantur eius temporis præcipui Hiſtoriographi; Græci, Glycas, Theophanes, Cedrenus, & Zonaras: Latini, Sigebertus, Paulus Diaconus, & Platina) Leonem Iſauricum Imperatorem propter hæreſim, & eius ſcelera excommunicauit, & vectigalibus Italiæ, ac per hoc parte imperij, mulctauit? An non & Gregorius Magnus ante Gregorium II. ſcilicet ante mil-

In tractatu de poteſtate Sũmi Pontificis in rebus temporalibus.

ante mille annos agnouit hanc poteſtatem in Summis Pontificibus, cùm in priuilegio Monaſterio S. Medardi conceſſo, quod in libro Epiſtolarum ipſius legitur, hæc verba dicat; *Authoritate diuina, vice B. Petri Apoſtoli, ſtatuimus, &c. Si quis autem Regum huius Apoſtolicæ authoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut aliter ordinauerit, cuiuscunque honoris, aut dignitatis ſit, honore ſuo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel S. Eccleſiæ Dei deſtructor, à conſortio Chriſtianitatis, & corpore, & ſanguine Domini noſtri* IESV *Chriſti ſequeſtretur.* Audin? quid, non Ieſuita, ſed Summus ipſe Pontifex, & ante mille annos dicat. & adhuc dices, à ſolis Ieſuitis nouiter hanc Romano Pontifici poteſtatem tribui? *Lib: 12. Epiſt: 31.*

IV. Alterum eſt. neminem è Societatis noſtræ Theologis docuiſſe conſtat, Summum Pontificem poteſtatē talem habere ſupra Reges, ac Principes, vt & regna ac imperia dare, & illa auferre pro ſuo arbitratu poſſet, quandocunq; vellet.

V. Tertium eſt. longè maiorem poteſtatem Romano Pontifici in temporalibus adſcribi ab alijs ſcriptoribus antiquiſſimis, quàm à noſtris Theologis. cùm multi eorum affirment Summum Pontificem habere ſummam, & ſupremam poteſtatem temporalem directè, ac per ſe, in omnia Regna, ac imperia. Citat illos Suarius in opere iam nominato. Ex antiquiſſimis quidem Iuriſperitis, & Iuris Pontificij Doctoribus nouem, & Iuris Cæſarei aliquot, quorum plures citari à Nauar: & Couar: docet; Citat & Theologos aliquot antiquos, D. Antoninum, Auguſtinum Triumphum, & alios; Bellarminus verò, & Suares negant, nec admittunt talem poteſtatem in Pontifice; Cur ergo, Patrone veritatis, omiſſis omnibus illis, qui planè contra mentem tuam dicunt, in ſolos nos, qui minùs quàm illi dicimus, inuectus es? ſumma hæc quædam in te eſt inuidia, odium, & maledicentia. *Lib: 5. 5. cap.*

VI. Quartum tandem, & postremum illud est. neminē ex SS. Patribus huic communi aduersari sententiæ, quod ipsius Augustini super Ioan: & S. Bernardi ad Eugenium & D. Chrysostomi authoritate (quos Patronus Torunensium pro sua parte citat) satis erit cōprobare. Nunquam enim hi Patres negârunt hanc potestatem temporalem in Reges, & Principes, esse in Summis Pontificibus ad eos coërcendos & puniendos; sed prior illorum ostendit omnes homines egere legibus, & Magistratibus politicis, sine quibus hæc vita tranquillè duci nō potest, vt expresè verba ipsa sonant. Posterior verò solùm negat Summos Pontifices habere dominatum temporalē directè, & per se in omnes, more Imperatorum, & Regum sæcularium. nam aliquam tamen habere in temporalibus expresè docet in illis libris. In primo verò libro solùm asserit non monstrari, quòd Apostolus aliquis sederit vt iudex hominum. Ex quibus verbis accepit occasionem hic Sanctus adhortandi Pontificem, vt magis vacet considerationi, quàm iudicijs terrenis; non quòd non posset, sed quòd non debeat vt plurimum, posthabitis rebus grauioribus, istis terrenis & vilibus implicari. Fraudulenter autem citauit illa verba Patronus Torunensium, cùm multa ex eis omiserit sequentia, & quæ explicationem afferebant loci illius: tales sunt hæretici in citandis authorum sententijs, vt mutilent, detruncent, addant, & quæ suo tantùm proposito seruiant, afferant; quæ aduersentur, sileant. Explicat benè S. Bernard: suum illud dictum: ait enim post illa verba; *quòd Apostoli non legantur quemquam iudicasse. Habent hæc infima & terrena Iudices suos, Reges ac Principes terræ, quid fines illorum inuaditis? quid falcem in alienam messem extenditis? id est, in iudicia terrena: non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis.* Et in eodem loco paulò infrà de ijsdem iudicijs terrenis ita scribit;

Lib: 2.

Sed aliud

Sed aliud est incidenter incurrere in ista, causa quidem vrgente; aliud verò incumbere istis, tanquam magnis, dignisq́ tanto, & talium intentione rebus. Audis hæc Mithoclasta? cur illa non legisti? cur omisisti, cùm alia legeris & pro te attuleris? non faciebant hæc nimirum ad tuum propositum. Quod verò idem S. existimauerit pertinere ad Summum Pontificem, potestatem iudiciumq́; in temporalibus in Principes Christianos, expreßè patet ex lib: 4. ad eundem Eugenium, non longè ab initio. *Quid tu*, inquit, *denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic; Conuerte gladium tuum in vaginam tuam; tuus ergo, & ipse forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis; Ecce duo gladij hìc, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est, vterq́ ergo Ecclesiæ* (& spiritualis scilicet gladius & materialis) *sed is quidem per Ecclesiam, ille verò & ab Ecclesia exerendus est: ille Sacerdotis, is militis manu; sed tamen ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.* Quid clariùs ab hoc Sancto de vtraq; Pontificis potestate dici potuit? quis enim non videt per gladium ab eo potestatem intelligi? per spiritualem quidem gladium spiritualem; per materialem, temporalem: ac vtramq; hic Sanctus vult esse in Summo Pontifice cùm dicit, *Vterq́ tuus est.* Deniq; B. Chrysostom: quem Patronus Torunensium omninò nõ ad rem citauit, non aliud vult eo loco, quàm vt Antistites Ecclesiæ fideliter gubernent oues sibi subditas, eorũ etiam necessitatibus seruiendo seu prouidendo. Neque enim cùm dicit; *Principes mundi ideo constitui, vt dominentur minoribus*, nomine minorum etiam intelligit Summos Pontifices. Et cùm asserit Principes Ecclesiæ constitui, vt inseruiant maioribus, intelligit esse seruos eorum quoad subiectionem (sic enim omnium hominum essent abiectissimi) sed quia seruire debeant aliorum necessita-

Ioan: 18.

Luca 22.

Hom: 21.

cessitatibus, etiam imperando ijsdem; Cùm & Apostolus Paulus seruum se scripserit Corinthiorum non se-
2. Cor: 4. mel, supra quos tamen potestatem se à Christo accepisse affirmat. Et D. August: omnino Imperatores ac Reges,
19. Ciuit. seruire suis subditis assereret: *Etiam qui imperant*, inquit,
Cap: 14. *seruiunt eis, quibus imperant. Neq; enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi necessaria, &c.* Cur potiùs omisit citare tenebrio,
Hom: 22. hic locum ex eodem S. Chrysost: in quo clarissimè agnoscit eam potestatem in Principibus Ecclesiæ, quam ipse impugnat? non erat scilicet ad palatum illius. Ita
2. Cor: 10. enim Sanctus hic super illa verba Apostoli: *Nam etsi amplius solicitus fuero de potentia nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, non in destructionem vestram, non erubescam*; scribit. *Ad hoc*, inquit, *potentiam accepimus, vt ædificemus: Quod si quis obtrectet, & dimicet, atq; ita affectus sit, vt nulla ratione sanari possit, tum demum altera quoque facultate vtamur,*
August. *eum diruentes, & prosternentes.* Idem docent, Theophyla-
Epist: 50. ctus, Theodoretus, Anselmus ibi, & D. August. probans illo testimonio Apostoli posse Ecclesiam hæreticos homines ad resipiscendum cogere, eandem Summi Pontificis potestatem luculenter indicat.

VII. Accipe ergo, versute & callide Veterator, quæ sit nostri Romani Antistitis potestas, in omni foro & iure, non quam ei nos affingimus, vt tu contumeliosè dicis; sed quam illi SS. Doctores, Theologi, omnes omnium ordinum homines, ac totus mundus libens attribuit, quod tu non ignorabas. Sciebas enim quid sanctus Bernardus, quid sanctus Augustinus, quid Chrysostomus, (quos citat Bellarminus, cuius tu librum legisti) de Summi Antistitis authoritate & potestate dicant: quid tot alij Sanctissimi & sapientissimi Doctores & Theologi sentiant: Sed tua te proteruia in transuersum egit: vt & Sanctorum Patrum mendaciter auctoritatem pro te allegares: di-

res: dicta eorum mutilares,& deformares: & doctrinam nescio quam de hoc argumento fictam,& commentitiã, nobis solis adscriberes; Sicq; nos omnes, & Illustrissimũ Cardinalem Bellarminum dentata tua charta roderes. Sed quid dico, contra nos tantùm,aut Bellarminum,tuum improbum calamum sæuiisse, cùm ille sub nomine nostro SS. Patres omnes & Theologos, quicunque hanc sententiam docuerunt, proscîderit? Quàm bene tibi illud dicere possum; *Quis incircumcisus Philistæus iste, qui audet exprobrare aciebus Dei viuentis?* hoc est Doctoribus & Magistris Ecclesiæ, & sub nomine Societatis,illis doctrinas erroneas, & hæreticas affingere? verè tu Goliath es, non ob fortitudinem, animumque generosum ac militarem, qui tibi nullus est; sed ob maledicentiam, qua illum es imitatus. At Bellarminus gloriosum Dauidis nomen meretur, tum ob singularem mansuetudinem, animique modestiam, qua tantum honorem in Ecclesia renuit, eumque nonnisi summi Antistitis, cui omnes vt Vicario Christi parere debemus, voluntate & authoritate coactus suscepit: tum ob egregiam doctrinæ & eruditionis vim, qua tot Philistæos, hoc est hæreticos prostrauit, eorumque capita illorum ipsorum gladio victor abstulit, hoc est, illorum ipsorum principiis, & inconstantibus ac disconuenientibus doctrinis,eos confutauit, conuicit, repressit. Hinc tot de illo è monstrosis Ministrorum capitibus enatæ fabulæ, calumniarum & conuitiorum plenissimæ. cùm enim victorem triumphatoremque suarum hæresum agnoscant, timeant, & oderint Bellarminum; ea cõminiscuntur, quæ ad nominis eius splendorem minuendum, & se vlciscendum facere putant.

Prodiit ante vnum annum ementito primùm nomine typographæi, & typographi Basiliensis Ludouici Konig (vt inferiùs ex eiusdem Epistola palàm fiet) recu- VIII.

sus deinde Gedani liber Germanico conscriptus idiomate, in quo tam numerosa, Bellarmino, & alteri cuidam nostri Ordinis homini scelera obiiciuntur: vt tot ab vno homine, quamuis vltra Mathusalem annos ætatem produxerit, admitti posse incredibile sit: tam horrenda, tam spurca, tam incesta, vt ea nec perscribere calamus, nec lingua honesta dicere, nec aures etiam mediocriter castæ patienter audire possint. Ex quo prudens lector intelliget, cuius oris eum esse oporteat, qui hæc in lucem emiserit. Næ pessimè tuæ famæ consuluisti, quisquis es, Anonyme eius libelli Author: nam si, quod aiunt, vox hominem sonat, Patrem vt plurimum refert Filius, & scripta scriptorem repræsentant, actum est; omnis, qui sana mente fabellam tuam legerit, continuò te Religione hæreticum, & hominem perfrictæ frontis, ac nunquam erubescentem, proclamabit. Additur etiam in eo libello, omnia quæ de Bellarmino mẽtitus est lucifuga historiographus, & singulatim longo ordine recensuit, constitisse *ex libro confessionis eiusdem Bellarmini* (hoc est ex mendacibus Hæreticorum capitibus) *quem ille Lauretũ, animi expiandi causa, secum attulerat.* Quid plura? *& ibi propter conscientiam scelerum* (quæ manibus Hæreticorum de se illa fingentium perpetrârat) *veniam & salutem desperantem impiè obiisse*, cui soli hæretici interitum hominis miserati iusta persoluerunt. En impudentissima Hæreticorũ in nostræ Societatis homines mendacia? quæ etiam procacium puerorum leuitas, & anicularum garrulitàs, ad colum & fusum fabulari erubesceret, ea de nobis palàm iactitant, & omnibus persuadere conantur. Sed non est periculum: quis enim erit tam insanæ mentis, vt rebus tam impossibilibus habeat fidem? Demiror itaque Gedanensium, & Torunensium, crudelitatem saltem; quî fieri potuit, vt viri alioqui prudentes, & graues, nec postremæ in Polonia notæ, e-

iusmodi

iusmodi commentum, illi quidem recuderent, hi verò statim atque Torunium Gedano illatum est, obuiis, vt aiunt, vlnis exciperent: venum exponerent: ipsi auidè & iucundè legerent: amicis libenter communicarent: per vniuersam Poloniam sollicitè disseminarent. Qua in re vultures, aut muscas imitati mihi videntur. nam sicut illi, vbi putidum semesi cadaueris pedorem senserint, illicò aduolant ad prædam: hæ sanas partes fugiunt; affectas, & sanie taboque fluentes, cateruatim obsident: ita planè Torunenses, vbi quid præclarum de nobis dicatur, audiuisse dissimulant; si autem odiosum, auidissimè amplectuntur. verissimumq; est de ipsis illud Ciceronis; *Quem quisque odit, periisse expetit.* & quod quidam ait Poëta: *Hoc facilè credunt, quod nimis miseri volunt.* quia Torunenses oderunt Bellarminum, malè perire expetunt: quia malè perire expetunt, malè perisse credunt tot tantisque facinoribus obrutum, quot & quanta historicus affingit falsò.

Qui enim ea hic vir Religiosissimus perpetrare potuisset? Enimuero admodum adolescens è Bellarminorum familia natus, Marcelli II. Pontificis Maximi ex sorore nepos, Societatis nostræ institutum amplexus est, in eoque annis ferè quadraginta summa cum laude, & magna sanctitatis opinione vixit in assiduo dicendi docendique labore: præcipuas quippe disciplinas professus est, multaque commentatus, tum contra Hæreticos, tum alia diuersorum generum, quæ iam Doctorū omnium teruntur manibus. Tanta in eo vitæ integritas, tanta doctrinæ varietas elucebat: vt totius orbis oculos in se conuerterit, carus & admirabilis omnibus, non tantùm nostris, sed etiam viris Principibus. Quare Clemens VIII. Pontifex Maximus dignum iudicauit, quem in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptaret, non ambientē, imò maximè reluctantem, cuius rei ego testis sum. aderam enim IX.

ram enim tum Romæ ante annos ferè 18. Nunc in proxima à prima dignitate constitutus ita se gerit, vt nihil de pristina modestia remittat: ita Romanæ Ecclesiæ Principem induit; vt pauperem Religiosum austeritatis, & abiectionis amantem, miro quodam animi robore retineat. Hæc ego pauca in laudem illius, ne modestiæ adhuc superstitis molestus sim: plura alii Catholici scriptores; omnes recensere nihil necesse est, dabo ex multis duos.

X. Illustriss: Card: Cæsar Baronius vir integerrimus & eruditissimus, asserit Bellarminum tales pro defensione Ecclesiæ libros conscripsisse, vt sint veluti Dauidis turris illa fortissima, qua Ciuitas Dei Ecclesia ab incircumcisorum hostium incursatione propugnetur, & defendatur. Idem Cardinalis agens de Ecclesia Capuana, quam Ioannes Papa in gratiam Ottonis Imperatoris (qui tunc vnà cum Pontifice Capuæ morabatur) Archiepiscopatus dignitate insigniuit, sic habet ad verbum. *His verò diebus, quibus hæc scribimus, quod non tacendum, maximum eidem accessit Ecclesiæ ornamentum, dum vacante eadem sede, delectus est à SS. D. N. Clemente Papa VIII. ad nobilissimæ Ecclesiæ regimen, vir doctissimus ac religiosissimus, Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis, virtutum meritis toti Christiano orbi conspicuus, exoptatus votis, collaudatus suffragijs, atque exceptus plausu; illud sacro Collegio conclamante,* DIGNVS DIGNÆ: *quem tamen ille Archiepiscopatum postmodum, sub initium Pontificatus SS. D. N. Pauli V. deposuit.* hucusq; primus. Alter est Cornelius Schultimagius doctissimus Coloniensis Theolog. qui in præfatione Bibliothecæ Catholicæ, Clementem VIII. & S. R. E. Cardinales appellans, honorificam tum ipsius Baronij, tum ipsius Bellarmini facit mentionem. *Nam licèt,* inquit, *sexcentis penè doctissimorum Theologorum Catholicorum scriptis in ordinem redactis contra has institutiones Ioannis Caluini vsus fuerim, palmam tamen inter omnes illos obtinent Illustrissimi*

Tom: 1. Annal. Anno Christi 53.

Tom: 10.

lustrissimi Cardinales R. E. Cæsar Baronius, & Politianus Bellarminus, Sacratissimi vestri Collegij, celeberrima & illustrissima membra.

Sed ne suspecta sint encomia Bellarmini ex ore Catholicorum profecta; audite quantùm illum celebrét ipsimet vestri Prædicantes. Vitacherus Caluinista, postquam multa in laudem Bellarmini dixisset, vt quòd summa omnium admiratione, acclamationeq; Romæ controuersias Theologicas tractasset; subijcit per apostrophen ad Cæcilium Thesaurarium Angliæ; *De quo homine, cùm meam opinionem quæreres, respondi quemadmodum sensi, me illum iudicare virum sanè doctum, ingenio felici, iudicio subtili, lectione multiplici præditum.* Non abit à Vitachero Franciscus Iunius. *Duo apud multos,* ait, *& ad miraculum vsque (vt ita dicamus) est assecutus Bellarminus. Vnum, quòd diligentia istius collectæ, & cinni laboriosissimi, ex Pontificiorum omnium sententijs comportati; pellexit multos, vt libros ipsius de doctrina Christiana, & controuersis locis eius consulerent: alterum, quòd nouatio istius operis, multorum animos inflammauit, vt idem scriptum legerent, &c.* Deniq; ipsi Danæo rabiosissimo Ministro & conuitiatori, nolenti quidem fortasse, sed clarissima coacto veritate, egregia illa commẽdatio Bellarmini excidit. *Hic enim,* inquit, *& nos ipsi variæ lectionis, & diligentiæ, honestam laudem Bellarmino tribuimus: imò eam quoque prædicamus.* &, *Nulla in re cum Bellarmino in huius Capitis 20. doctrina pugnamus, imò & diligentiæ, & memoriæ, & assiduæ Patrum lectionis nomine, gratias illi agendas existimamus.* Quid addi potest amplius his laudibus, quibus modestissimus Cardinalis, non tantùm ornatur à vestris Ministris, sed etiam (vt ipse putat) oneratur.

XI.

Dedicatoria Epist: libri contra Bellarminũ de verbo Dei.

Epist: præuia anim aduersionibus in controuers: de Purgatorio.

Ad 5. Cap: Libri 1. 2 Controuersiæ. Ad 20. Cap. ibidem.

XII.

At, inquiunt Torunenses, *hæc quæ recitasti testimonia, doctrinæ, non innocentiæ Bellarmini suffragari:* quid? mihi equidem alia mens est: quamuis enim eum non vsque adeò clarè commendent à virtute, omni tamen suspicione ob-

 oneob-

one obiectorum ab Anonymo liberant. Nam quomodo aliquid in doctrina, ac literis, ad miraculum vsque assecutus, & lectione multiplici præditus fuisset; & cinnos laboriosissimos ex omnium Pontificiorum sententiis cõportasset; & assiduè Patres euoluere potuisset; si illa in se admisisset facinora, quæ & totum hominem, & multorum sæculorum tempus, vt dixi, requirunt? Nec hoc solum meũ est ratiocinium: adstipulatur eidem Michaël Coletus præcipuus Lutheranæ professionis Gedani propugnator: qui cognito, quòd illa fabula de Bellarmino Gedani recusa esset, palàm pro Concione edixit: Mendaces has criminationes, in eum virum cadere non posse, quẽ eruditio & doctrina tot libris comprobata aliter vitam suam instituisse omninò conuincunt. Adiungam huic iudicio Coleti aliud non dissimile cuiusdam non postremæ notæ Ciuis Hamburgensis professione Caluinistæ; hic in sua ad quendam amicum epistola (cuius originale exemplar Typographus Ingolstadiensis, qui etiam excussit, ostendet cùm opus erit) hæc inter alia de illo libello habet: *Crimina in Bellarminum coniecta pro mendacijs meritò à sapientibus, quoscunq; adierint, reputantur, nec consideratione digna censentur.* Et post pauca: *Apud nos ipsos nullam fidem inueniunt, sed simplicis solùm, turpisq; fabellæ locum obtinent: cùm præsertim Bellarminum adhuc superstitem esse nostris (quos non latet quid de similibus viris Illustribus agatur) certum sit. Illud tantùm dolendum existimo, quòd tales chartas alienæ famæ prædatrices cudere, & recudere, impunè liceat. Datum Hamburgæ.* Deindè en alios ex vestris luculentos testes Bellarmini nostri integritatis. Vidi egomet Romę nonnullos Hæreticos, quos illuc inter cætera vnius Bellarmini Iesuitæ fama pertraxit maximè. iam nouerant hominis doctrinam, vitam etiam experiri volebant. cùm igitur eius mores, sermonem, vultum, gestus, & motus omnes curiosiùs obseruarent, eximiam paupertatem, &

modestiam vehementer admirati vix in animum inducere poterant eum se coram oculis intueri, quem antè longè positi animo concepissent; cùm à Ministris suis ipsorum coloribus, id est propriarum nequitiarum fuligine pingeretur. Magnum istud est testimonium probitatis huius Cardinalis, quippe ab ipsis inimicis habetur. Verùm hoc quod sequitur, vt mihi quidem videtur, longe maius. tum quòd ab eo datum sit, qui maximè à fide Catholica alienus est: tum quòd egregiè Anonymi mẽdacia confutet. quare eò libentius illud adduco, quò minùs suspectum fore Torunensibus, & magis ad rem præsentem facere iudico.

Res ita se habet: Oliuæ nonnulli Gedanensium Senatorum inter alia, quæ ante vnum annum miscebant cum admodum R. P. Philippo Adlero dignissimo Oliuensis Monasterij Ordinis S. Bernardi Priore colloquia, ea omnia, quæ toties nominatus Anonymus de Bellarmino impudenter mentitur, retulerunt. Negare Prior, & impossibilia dicere, multisq; nostram Societatem pro sua in nos voluntate commendare: contra illi verissima asseuerare, nosq;, & Bellarminũ criminari: interim adest Iudæus, qui ex Italia recens venerat: nunciatur Priori, è vestigio intrò vocatur, intrat; tum Prior; Ecquid, inquit, apportas ex vrbe noui? quid Bellarminus Cardinalis? superatné? & quæ vitæ illius, morumq; ratio? arrigunt aures Gedanenses, pro se Iudæum dicturum præstolantur; Verùm ille saluum & incolumem esse, & ad omnem honestatem, & integritatem, compositam vitã ducere, pronunciauit: insuper addidit: Iudæos, si omnes Catholicos, aut magnam partem eorum, ad normã Bellarmini, mores suos exigere viderent, omnes illicò à Iudaismo ad Catholicismum concessuros: exanimati propè sunt huiusmodi narratione, atq; etiam suo pudore Gedanen. Atq; hæc ego ex viro religiosissimo & in-

 tegerri-

tegerrimo Ordin: Cisterc: P. Andrea Chlevvski, nunc Priore Vangrouecensi aurito, oculatoq; teste accepi. Viuit ergo adhuc, dum hæc scribo, Illustrissimus Cardinalis, & strenuè pro Ecclesia Dei laborat: licet istis mortuus sit. nimirum hæretici tales sunt Taumaturgi, vt non mortuos ad vitam reuocare possint, sed viuos mortuis addere consueuerint. Videtis vt opinor, Gedanenses, & Torunenses, quàm verax sit iste Historicus, qui in re manifestissima falsitatis tenetur.

APPENDIX.

Vindicauimus tandē, summo fauente Magistro doctrinæ Societatis nostræ, imo Catholicorum omnium, à Torunensis morsu Theonis rationes: & ita vindicauimus, vt ille ab hoc suo maligno conatu cessare, nisi pertinaci, obstinatoq; reluctari vellet animo, omnino cogeretur. Quid ergo iam est, quod nostros alia quodammodo proscenia ludos inire permittimus? quid est; quod cùm iactis quasi anchoris ex hac quali quali nostra nauigatione in statione quieuimus, postliminio funem religare, naumachiamque restaurare contendimus? Erat profectò operæprecium, amice lector: vt is, qui accepta superiori certamine lethali plaga in arena decubuit, conuersi quoq; pollicis expectaret sententiam. Erat, inquam, operæprecium, vt is, qui iam sub iugum missus est hostis, ad internecionem vsq; deleretur. Quare pro Corollario istius pugnæ hanc appendicem adiungere ipsa res admonuit; in qua secundo Numine tria præstabo, Primum est, quoniam Patronus Torunensium asseruit, *Societatem nostram in Belgio*, vt eius hîc loquar verbis, *plusquam viginti quinq; Monasteria Ordinis Præmonstratensium; & plusquam triginta millia librarum annua illis olim competentia ad se pertraxisse*: proferam in medium luculentissimum admodum R. D. Natalis Care Præmonstratensium familiæ in Belgio Abbatis præcipui testimonium, quod Cancellarius & causarum Auditor generalis Illustrissimi & Reuerendissimi D. Andreæ de Bnin Opalinski Episcopi Posnaniensis recognouit, & in publicas tabulas referri iussit: quo Abbas ille Præmonstratensium Ordinis testatur, nullum nec in Belgio, nec alibi, quod sciat, Ordinis sui domicilium à Societate no-

ſtra occupatum eſſe: nec quenquam ex noſtris, in huius rei ſuſpicionem veniſſe; ac proinde hunc Patronum, vtpote Hæreticum, & hoſtem noſtrum finxiſſe iſta, ac nefariè nos criminatum eſſe. Dignum profectò patella operculum. Alterum eſt; Annectam vtriuſq; ſtatus, qui eſt in Gallia, hominum tam ſæcularis, vt aiunt, quàm Eccleſiaſtici, ſupplices ad Regem ſuum tabellas, quibus cũ orant, obteſtanturq; omnes, vt nos familiamq; noſtram, pro perpetuis in Chriſtianam totiuſq; Galliæ Rempub. meritis; à maleuolorum inuidia defenſam amplificet, ornet, omni deniq; ſtudio beneuolentiaq; proſequatur. Apud quos ſi vel minima de nobis perturbationum, motuumq; ciuilium, aut necis Henrici I V. Regis optimi (de quibus tamen idem Patronus malignè nos criminatus eſt) reſideret ſuſpicio, an poſſent pro capite, fortunis, dignitateq; noſtra tam acriter, & in recenti memoria, ſeſe opponere? Poſtremò denique, quod ſupra Cap. 13. me facturum ſum pollicitus, maledicam illam fabellam de Illuſtriſſimo Bellarmino Cardinali, ipſius Ludouici Konig, ex cuius prælo liber ille Baſileæ prodijſſe dicebatur, literis, quas Germanicè editas Latinè fideliter reddidi, confutabo.

Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimoquinto, die Lunæ vigeſima tertia Menſis Nouembris.

Coram Admodum Reuerendo D. Gaſparo Hap, S. T. & I. V. Doctore, Archidiacono Srzemenſi, Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ: Domini, D. Andreæ de Bnin Opalinſki, Dei gratia Epiſcopi Poſnanien: Cancellario, &c. Cauſarum Auditore generali, comparens perſonaliter Nobilis Albertus Kręciewſki minorum Ord: Clericus exhibuit literas certas papyreas, ſub titulo & ſigillo impreſſo, Admodum Reu. D. Natalis Care, Abbatis Viconien: Ord: Præmonſtraten: in Belgio, per eundem D. Abbatẽ ſubſcriptas, petens eaſdem ad acta præſentia inſcribi, quod obtinuit, præſentibus V. Blaſio à Brudzewo, Eccleſiæ S. Margaritæ Præpoſito, Diſcret: Ioan: Marulowſki, Ioſepho Griſkowſki, teſtibus. Quarum literarum te-

nor sequitur talis. *Natalis Care Abbas Viconien: Ordinis Præmonstraten: in Belgio, vniuersis & singulis has visuris salutem in Domino. Cùm ad nos constanti fama relatum sit, recenter in Prussia libellum famosum ab Hæretico calumniatore egregio prodijsse, in quo inter cætera maledicta, quibus Reuerendos Patres Societatis* IESV *insectatur, illud ipsum eis malignè improperat, quod vi, seu malo dolo, plus minusué 25. Monasteria nostri Ordinis in Belgio occupârint, in eorumq́ bona inuolârint, quam atrocem & ex clarissimis maledictis conflatam calumniam sponte sua ruere cùm nemo non videat (toto enim Belgio ne tot quidem nostri Ordinis Monasteria numerantur) supersedendum putaremus, nisi proiecta hæc Hæreticorum in conuitiando licentia innocentiam oppugnaret, & nomen eorum, qui probitate, & doctrina, rem Christianam assiduè promouent, in apertam vocaret inuidiam. Eorum igitur incolumitati consulere cupientes hisce publicis literis testatum volumus, nullum nec in Belgio, nec alibi, quod sciamus, nostri Ordinis Monasterium ab eis occupari, nec quenquam eorum in huius rei suspicionem venisse, sed hæc impia & maleuola Hæreticorum figmenta eò tendere, vt famam eorum eleuent, quos tota Ecclesia sibi per quàm vtiles operarios meritò confitetur: & quorum labores sibi nauiter aduersari sentiunt, eorum mores nefariè criminentur. In cuius rei fidem his sigillum nostrum imprimi iussimus, & manu nostra subscripsimus. Dat: Viconiæ, 23. mensis Augusti. Anno D. Millesimo, Sexcentesimo Decimo Quinto. Sequitur sigillum impressum, cum inscriptione tali:* Natalis Abbas Viconiensis.

Ex Protocollo Causarum Consistorij supramemorati Illustriss: & Reuerendiss: Domini, D. Andreæ de Bnin Opaliński, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Posnaniensis, extractum & Sigillo suæ Illustrißimæ & Reuerendißimæ Paternitatis communit.

Martinus Srzemonus publ. Causarum Consistorij Posnanien: Notarius m. p.

Postula-

Postulatio Cleri pro Societate IESV in Comitiis generalibus Galliæ, Anno 1615.

INgentes fructus, & singularia officia, quæ Patres Soc: IESV, & olim præstiterunt, & nunc etiam præstant in Ecclesia Catholica, & nominatim in hoc Regno, nos omninò adducunt, vt Maiest: V. obtestemur omnes, vti pro eorum vel doctrina, vel pietate, quam ipsi profitentur, facultatem eis concedat bonas literas, cæteraq; ministeria sua, in Collegio eorum Claromontano huius ciuitatis Parisiensis obeundi, sicuti antea fecerunt. atque vt omnes controuersiæ & oppositiones vel vniuersitatis, vel aliorum quæ contra eam rem susceptæ sunt, & in Parlamento agitatæ, omninò terminentur, placeat Vestræ Maiestati euocare illas ad se, suumq; Concilium, & simul cæteris omnibus Iudicibus cognitione earum interdicere.

Denique rogamus V. M. vt ipsos Patres tueri per se velit in ijs locis, & partibus Regni sui, vbi ipsi in præsentia cõmorantur, eosdemq; ijsdem Ciuitatibus concedat, quæ eorum operam in posterum desiderabunt, totamq; Societatem beneuolentiæ suæ patrocinio tegere dignetur, quemadmodum Henricus Rex Maiestatis V. parens sapientissimus faciebat.

Signatum.

F. Cardinalis de Sourdis — Et infrà.

Iussu totius Congregationis Cleri. — *Behetij Secretarius.*

Postulatio Nobilium pro Societate IESV in Comitiis generalibus Regni Galliæ, Anno 1615.

STatus Nobilium, à Vestra Maiestate valde contendit, vt habita ratione fructus, qui ex industria & labore Patrum Societ: IESV quotidie proficiscitur, tum in religione Christiana propaganda, tum in iuuentute ad bonos mores & scientias informanda, ijsdem Patribus per eam liceat in Collegio Claromontano literas, sicuti antea solebant, edocere; eosq; in antiquis fundationibus & Iuribus suis conseruare, legibus vniuersitatis adhærentes. Præterea vt ijsdem Maiestas vestra permittat Collegia instituere, & ædificare, in ijs omnibus Regni sui Ciuitatibus, vbi ipsi postulabuntur.

Signatum.

Raymundus Sac. Secretarius Nobilitatis.

Exemplum literarum quas D. Ludouicus Konig Bibliopola Basileensis misit ad quendam suum amicum.

Magna cum admiratione inscriptum hîc famosum legi librum, quem nescio quis perfrictæ frontis homo, fur famæ, meo sub nomine in vulgus edendo, non meo solùm, sed totius Ciuitatis Basileensis honore, ex sua vsus est libidine. Mihi certè tam infamis, tamq; seuerè prohibiti impressor, & author libelli is, quem supra nominaui, quoad de nomine ipsius vt spero intelligam, semper erit. Quamobrem omnem operam nauabo, nullisq; parcam sumptibus, vt hunc aliquando boni nominis furem intercipere possim. Te tamen maiorem in modum rogo, vt me non modò apud RR. Patres Societatis IESV*, verùm etiam apud omnes, huius tam turpis calumniæ (cuius mihi nusquam, & multò minùs edendi illius libri in mentem cogitatio venit) suspicione liberes. De illo autem, quod idem effrons impressor in capite libri adiungere ausus est;* Primo Basileæ impressus per Ludouicum Konig; *aliorum esto iudicium, quibus exploratum est, mihi nullum esse prælum: ea verò quæ hactenus edidi, non meis, sed alienis elaboraui officinis. Summas tibi igitur ago gratias, quòd eo animo, eaq; sis in me beneuolentia, vt & de nascente hac calumnia me tempestiuè monueris, & quid deinceps futurum sit de omnibus facturus sis certiorem; deniq; quòd multis tempestatibus omnibus meis rationibus optimè volueris esse consultum. Iam te tuosq; omnes diuinæ commendo clientelæ. Basileæ 15. Nouembris, 1614.*

Conclusio ad Lectorem.

VALE iam, lector beneuole, & innocentiam nostram sæpius à maleuolorum calumnijs pertinaciter impugnatam, & tantùm aliquando non oppressam, constantiùs in posterum tuearis. Patrono verò Torunensium, quem deprehensum, & non semel conuictum hîc vidisti, ne grauiùs quæso succenseas, sed parce hominis licentiæ, excusa quantùm potes intemperantiam. Ad extremum (quod ipsum ego quoque facio) ora Deum omnis boni authorem, vt ipse animum & mentem det ei meliorem. Calissij 1615. in ipso Christi Domini Nascentis peruigilio.